John Carter Brown
Library
Brown University

The John Carter Brown Library

Brown University

Purchased from the

Louisa D. Sharpe Metcalf Fund

5090

ANTONII THYSII JC.

HISTORIA NAVALIS,

Sive

CELEBERRIMORUM

PRÆLIORUM.

QUÆ

Mari ab antiquissimis temporibus usque ad Pacem Hispanicam Batavi, Fœderatiq; Belgæ, utplurimum victores gesserunt, luculenta descriptio.

LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina JOANNIS MAIRE, cIↃ IↃ C LVII.
Anno 1657

NUMBO 9064
BIBLIOTECA DE
Fernando Andrés
marg.
Tabla

CELSISSIMIS FOEDERATI

BELGII PATRIBUS,

NEC NON

Præpotentibus & Illustrißimis

HOLLANDIÆ PROCERIBUS,

DOMINIS SUIS,

Submisse dicat, consecratque

ANTONIUS THYSIUS.

CIRCUMFLUUM Oceanum, libertatis Vestræ primum vindicem, indomiti Martis cruentorumque præliorum vastum cubile, divitiarum largitorem, commerciorum tutorem, Reip. Vestræ statorem vobis exhibeo, PATRES AUGUSTI, imo ipse se totum Vestræ Potentiæ offert, atq; triumphos innumeros, continuosque & undique tincta hostili sanguine sua æquora heic ostentat. Nimirum quam late patent maria, virtus

DEDICATIO.

Veſtra patuit, imò quà immoto & pigro frigore non aquarum vortices, ſed glaciales & horridæ rupes eriguntur, Fortitudo Veſtra naturam deficientem fatigavit. Uti illa, quæ illuſtria antiquis contigere temporibus, ſilentio prætermittam, attonitus adhuc hæret orbis, in hoc angulo terrę concuſſam potiſſimum mari Hiſpanicæ dominationis potentiam, Orientis atque Occidentis opes flagellatas, totam ferme Europam in belli partes tractam, quaſi de imperio univerſi ageretur, neque minus Fœderatos domeſticis victoriis nobiles, ſui ſecuros, in ipſam Hiſpaniam, in Aſiam, Africam, & Americam belli tempeſtatem claſſibus ſuis effudiſſe. Exiguis limitibus Batavi ſociique arctantur, majeſtas, virtus, gloria nullum terminum habet. Batavia hodie etiam extra Bataviam colitur, atque Orienti formidabilis eſt. Quinimo per totum terrarum orbem, quem non ſemel tanquam inſulam

circum

circumnavigarunt, Batavorum nomen latiſſime ſe diffudit, atque venerationem cunctis admodum populis intendit. Qua ſol oritur, caditque, arces, caſtella, oppida, imo ipſa regna conſtituta ſunt. Legationes remotiſſimarum gentium, Indorum, Perſarum, Turcarum, liberaliter ſuſceptæ, auditæ, fœdera percuſſa, quaſi in noſtra fortuna omnium fortuna ſita eſſet. Iactent Phœnices, Carthaginienſes, Græci, & rerum domini Romani maritimam potentiam, longe inferiora ſunt Noſtratium expeditionibus. Magnitudo rerum mari geſtarum omnium admirationem excedit. Erunt aliquando illa tempora, cum poſteri fidem non adhibebunt, neque nos crederemus, niſi noſtris ea contigiſſent temporibus. Victor ubique nobis Oceanus non ſimpliciter indulſit, victorias victoriis cumulavit, denique incremento amplius non reliquit locum. Illa nunc demum magna eſt felicitas, felici-

tate ſua poſſe continuò uti. Ingentium ſæpe imperiorum nutarunt faſtigia, quod Proceres iiſdem artibus non conſervarent imperia, atque peperiſſent. Mari vindicata primum libertas, mari in immenſum crevit, mari conſervanda, tutanda. Vos autem, PATRES AUGUSTI, in id ſemper incubuiſtis, & adhuc incumbitis, uti vaſta æquora commerciis pateant; neque violentia hoſtium, vel inſidiis prædonum intercipiantur. Noſtis nimirum in Oceano noſtras opes ſitas, & mercaturam animam eſſe noſtræ Reip. Fuit hactenus (abſit invidia dicto) hæc ſpithama terræ, quæ mari paſſim cingitur exeditur que, horreum publicum totius Europæ. Effundit etiam extremus Ganges in Rhenum ſuas divitias, imo quicquid uſpiam locorum eſt, hic emitur venditurque, dum ad ultimas oras vela noſtra dimittimus, colonias erigimus. Tantum eſt mare ſibi obnoxium habuiſſe, ut qui illi leges ponere potuit,

potuit, etiam universo possit. Accedit quod maritimæ Respublicæ æternitatem quandam sibi polliceri queant, terrestres utplurimum velut senio paulatim & languore consumantur. Dum itaque bello animosi, pace quieti, maria movetis, secure navigia deducitis, media pace nos bellum inchoamus literarium non cruentum, sed innoxium, à quo ne ipsæ quidem pacatæ Musæ oculos avortant. Etsi autem verba factis exæquari nequeant, diu tamen mecum luctando honesta tandem me cepit ambitio, neque me quietum esse sivit, donec in inquieto Oceano fluctuantem calamum ponerem. Dirigimus heic aciem in mediis fluctibus, in ipsis aquis excitatos igneis, incensisque navibus ardentis veluti cæli trucem & horrendam faciem securi aspicimus, hostem vincimus, triumphamus; denique si iniquior fors obtigerit, mortem atque vitam juxta æstimamus. Hæc mea prælia,

imo

imo veſtra, & quidem celeberrima, uſque ad Pacem Hiſpanicam, Nomini Veſtro ſubmiſſe inſcribimus, PATRES AUGUSTI, qui bello, pace nobiles, ita Reip. veſtræ potentiam auxiſtis, ut, ſicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta ſit. Inſita eſt ea mortalibus, inprimis iis, qui ætatem in excelſo agunt, natura, recentem aliorum potentiam ægris oculis aſpicere, & quos vel pares vel inferiores viderunt, nolle ferre ſuperiores. Sed juſto imperio, æqua & tranquilla moderatione Vobis hæc contigit felicitas, ut felicitatem Veſtram tueri velitis, poſſitisque. Quæ uti perpetua ſit, Deum immortalem, rogo, & obteſtor. Datæ Lugduni Batavorum, menſe Ianuario, Anno CIↃ-IↃ CLVII.

HISTO-

HISTORIA NAVALIS
BATAVORUM,
Sive
CELEBERRIMORUM
PRÆLIORUM
QVÆ
Mari ab antiquiſſimis temporibus uſque ad Pacem Hiſpanicam, Batavi utplurimum victores geſſerunt, luculenta deſcriptio.

PROOEMIUM.

DUM totiens inter Batavos aliasque Nationes horrendum in ipſis aquis belli maritimi exarſit incendium, & ſanguine humano tinctus Oceanus cadavera volvit, nobis etiam inhorruit calamus, & ad prælia ſecura ſe accinxit. Batavorum olim, & nunc ſociarum gentium prælia celeberrima navalia uſque ad Pacem Hiſpanicam deſcribere in animum induximus noſtrum. Lente properavimus, & mente bene compoſita diu cum nobis ipſis morati, quia & eruenda erant ex antiquis autoribus, quæ ad inſtitutum noſtrum conducunt, & publica quoque ex autoritate Procerum inſpicienda fuere monumenta, quorum multitudo facile animum diſtrahere poteſt. Ubi veritas latet, diligenter nobis inquirenda fuit, quæ

cunctando demum elicitur. Illa omni odio vel favore debet esse antiquior. Nonnulli ita Historiam scribunt, ut ne sibi quidem ipsis credant, nos nullis affectibus, sed sola veritate vincemur, atque interius abdita & secreta rerum perscrutabimur. Adeste vos Batavi, quorum virtus semper inconcussa fuit: qui, ut olim socii & fratres Romanorum fuistis, ita nuper admodum mari terraque victores incredibili virtute Potentissimo Regi Hispaniarum, qui utrumque veluti solis limitem suo terminabat imperio, non tantum libertatis nostræ confessionem, sed & ipsam pacem extorsistis. Ecce, ecce, etiam adhuc vobis maria aperta sunt, nisi socordia vestra ea claudat. Vos virtutem iterum antiquam exerite, qui mare hactenus pro domicilio vestro habuistis. Turpe est domus propriæ desertorem esse.

CAPUT I.

DE EXPEDITIONIBVS ANTIQVIS TEMPORE ROMANORVM.

BATAVORUM inclytam virtutem & terra & aqua celebrant veterum monumenta. Magis autem incurrerent in omnium oculos, si decora Nostris Scriptorum ingenia suppetiissent, quorum tum omnis vita procul ab otio literato in negotio militari versabatur: non quod illis ingenia deessent, sed quod Marti suo devoti rebus agendis, & bonæ tantum famæ incumberent, cætera verò negligerent. Vicêre aliquo-

aliquotiens Romani, quia Batavi vincere potuerunt. Ipſe Iulius Cæſar, qui cœlo & ſideribus famam terminavit, in plerisque expeditionibus fortiſſimum militem Germanum, præcipuumque virtute Batavum habuit, in quo magnum ſemper momentum victoriæ fuit. In Bello utique Alexandrino cum tranſgreſſum fluminis Nili Rex Ptolemæus impediret, Equites noſtrates vada fluminis quærentes, demiſſioribus ripis primi tranſnatarunt, & conjunctâ cum legionario milite operâ magnam hominum multitudinem cecidêre, qui repentino impetu perterriti fruſtra in fuga ſpem ſalutis collocaverant. Sub Auguſto Prætoria cohors fortiſſimos, & fide primos Batavos habuit, quos Druſianæ expeditionis comites fuiſſe, cum ſecundo Rheno in Oceanum veheretur, populosque vicinos ſubigeret, vix dubitandum arbitror. Sub Tiberio Imperatore Germanicus, fabricata claſſe mille navium, in Inſula Batavorum moratus, Oceano ad Amiſiam flumen exercitum movit. Quîs & Batavi aquis aſſueti, & natandi periti ſe immiſcuêre. Cum ad Amiſiæ lævam partem ventum eſſet, plures dies tranſeundo in dexteram conſumpti. Et equites quidem cum legionibus intrepidi prima æſtuaria, nondum accreſcente unda tranſiêre: poſtremùm auxiliarium agmen, & inter eos virtute primi Batavi, æſtuaria non morantes, temerario auſu aquis ipſis inſultarunt, & dum artem natandi oſtentant, præcipiti aqua turbati, nonnulli hauſti abreptique ſunt. Generoſis nimirum ſpiritibus omnis mora adverſatur. Et quandoquidem eos aqua ab hoſtibus dirimebat, primò cum aquis certarunt, ut validiore poſtea impetu in hoſtes irruerent. Sed flumen iterum Viſurgis Romanos Cheruſcosque

interfluebat. Ibi, qua celerrimus amnis, Cariovalda Dux Batavorum erupit in Cheruſcos: atque per inſidias hoſtibus cinctus, prævalido robore in medium agmen ſe proripuit, atque, uti virtus laceſſita extrema tentat, tamdiu fortiter pugnavit, donec congeſtis telis & ſuffoſſo equo laberetur, atque ita corpore ſaucius, animo integer ſuccumberet. Secuta terreſtri prælio ingens de Arminio victoria. In qua expeditione Germani Batavique in fronte aciei conſtitêre. Sed terreſtria prælia prætermittere viſum fuit, fluctuantem Oceanum, & flumina præliis ſanguinolenta noſter calamus ſequitur. Sub Claudio Ganaſcum, qui natione Caninefas erat (Caninefates autẽ inter Batavos cenſentur) navigiis ſuis Gallorũ oram maxime vaſtaſſe memoriæ traditum eſt. Eodẽ imperante, Britannicis expeditionibus incredibilis virtutis experimenta Batavi dedêre. Bellum deinde ſub Vitellio grave inter Romanos Batavosque exarſit. Namq; Civilis contumeliarum impatiens, maxima cura ultum ire injurias feſtinabat, quas concoquere generoſus ejus ſpiritus nequibat. Vindictæ laceſſiti aculei quocunq; modo conceptum dolorem penſare cupiunt. Julium Paullum Regia Batavorum ſtirpe ſatum Fronteius Capito falſo rebellionis reum obtruncari juſſerat. Injecta Civili vincula, grandi libertatis opprobrio, animum ſublimem, injuriarum impatientem, ſupra modum exaſperaverant. Accuſatus ſub Nerone, & à Galba abſolutus, ſub Vitellio ad ſupplicium iterũ ab exercitu poſtulatus fuerat. Erat Civili ad ſimulanda negotia altitudo ingenii inacceſſa, prompta audacia, atque inter ſuos magna autoritas. Dum itaque ſuis conſiliis velificatur, Veſpaſiani amicitiam ſtudiumque partium nota

Prin-

Principum arte prætendit. Cæterum Batavi, quorum libertas aſpero delectu non tantum minuebatur, verum, quod minime ingenuis ferendum erat, etiam adoleſcentes ad nefaria ſtupra trahebantur, facile ad res novas incitabantur, & Duce Brinione junctis Caninefatibus, Friſiisque, proximo occupato Oceano, caſtra Romanorum ex improviſo invadunt, obvios palanteisque promiſcue cædunt, caſtellis exitium quoque minantur, niſi Præfecti Romanorum, incenſis iiſdem, quod defendi nequirent, calamitatem hoſtilem antevortiſſent. Interea Civilis, omnia alia ſimulare, aliud vultu oſtentare, aliud pectore clauſum premere, ultro Præfectos reprehendere, quod caſtella deſeruiſſent, cum ſua cohorte Caninefatium tumultum comprimere proclive fuiſſet. Detectis conſiliis, quod multitudo militaris, quæ ſtudio aut ira præceps agitur, ſua occultare facinora impotens eſt, Civilis Caninefates, Friſios, Batavosque in aciem protrahit. Haud procul à flumine Rheno directa acies Romanorum ſtetit. Simul naveis adverſæ victoriam animo volvebant. Poſt modici temporis certamen, Tungrorum cohors ad Batavos profugit, conſternati milites à ſociis hoſtibusque paſſim cæſi. Neque minor claſſis calamitas, cum Batavi nonnulli, qui claſſiariis Romanorum immixti, remigia torquebant, tanquam ex imperitia eorundem munia impedirent, mox contra nitendo Fortunam corrumpere, naveis hoſtili ripæ objicere, Præfectos centurionesque alia imperantes confodere, cæteros armis territare, donec univerſa quatuor & viginti navium claſſis, aut ultrò in advorſas partes iret; vel ſummo opprobrio caperetur. Ita Batavi navium armorumque, quîs indigebant, potiti non tan-

tum neceſſitatibus ſuis,verum etiã glorioſæ famæ conſuluêre,cum per Germanias Galliasq; libertatis priſtinæ vindices auctoresque celebrarentur. Sub Veſpaſiano eodem bello Belgico,Caninefates claſſem hoſtilem Britannicam,quæ Batavis imminebat, qua Oceano ambiuntur, ultro aggreſſi, majorem partẽ navium depreſſerunt, aut ſuperarunt. Addiderat quoq; poſtmodum Civilis obliquam in Rhenum molem,cujus objectu retortis violenter aquis,campis etiam ſuopte ante ingenio humentibus flumen ſuperfundebatur. Batavi aquis aſſueti & natandi periti Romanos armis graveis, & aquarũ inſolentes in proprio veluti fatigabant elemento. A Romanorum ferociſſimo quoque cæptum certamen, ſed impari conatu. Cæterum ſubito ingens illos abripuit conſternatio, cum profundis paludibus arma equique haurirentur. Ipſi fluctuantes,vel paludibus immerſi certa pernicie, à Batavis, qui notis vadis inſultabant, tanquam navali pugna inter aquas impetebantur. Alio iterum prælio Romanorum claſſis, quæ circa Noveſium Bonnamque ſteterat, injectis vinclis una cum prætoria navi à Batavis turbata, ingentique abrepta infamia. Et niſi Cerealis Romanorum Dux alibi noctem egiſſet, vivus in poteſtatem veniſſet Batavorum : qui prono amne vecti nocte caliginoſa, nullo prohibente, caſtra ſuperarunt. Plures ſomno ſe reficientes, alto Noſtrorum ſilentio, tabernaculorum funibus inciſis, ſuis cubilibus preſſi facilè trucidabantur. Alii inſolito tumultu exciti ſubito arma quærere, ſtrictis mucronibus,veſte nondum compoſita,per vias ruere, ægre tamen ſe ſuosque defendere. Ipſe Imperator adhuc ſemisomnis & propemodum nudus evaſit. Civilis Fortunâ

ferox, vasto animo, uti in rebus secundis fieri solet, majora tentat. Birémes, relliquasque quæ simplici ordine agebantur, & ingentem lintrium multitudiné colligit; captivas naveis versicoloribus sagis pro velis instructas in opprobriũ & contumeliam hostium, simulque totam navalem aciem ostentat, qua Mosa Rheno auctus vastum alveum in mare Oceanum præcipitat. Cæterum Cerealis cum Civilem promptum audacia tumultum ex tumultu, bellum ex bello serere videret, adeoq; summa ope eniti, uti mari leges poneret, adventantesque commeatus ex Galliâ intercideret, classem contra direxit, magnitudine navium & classiariorum peritia potiorem, verum numero longe inferiorem. Neque animus utrique incepta patrandi deesse videbatur. Civilis victoriâ immodicus animi, ulteriora tentandi cupidine flagrabat: Cerealis metuebat, ne in conspectu novam contumeliam acciperet. Batavi prospero vento, Romani secundo flumine promovebantur. Ubi utrinque in propinquo classis stetit, mutuo telorũ jactu velitationes glisscebant: prœliũ justum confectũ non est, forsan quod terror & formidolosa Batavorũ manus mentẽ consiliumq; hostibus eripuisset. Mirabile porrò est, quod in Agricolæ vita memoriæ prodidit Tacitus, (Batavorum) auxiliarium ope Iuliũ Agricolam, tentatam antea, sed infeliciter, Monam Britanniæ insulam in deditionem accepisse, quando non classe aut navibus insulam ingressi, sed depositis in litore sarcinis patrio nandi usu, quo se pariter, & equos atque arma regunt difficultatem omnem superavere, quum obstupefacti hostes, qui mentem oculosque in classem navesque intenderant, nihil invictũ ita prœliantibus crederent. Sub Adriano

Equi-

Equites Batavos armatos Istrum tranatasse, magno ob id terrore consternatis barbaris Dacis, qui se arbitrio victorum permiserunt, Dion Cassius autor est. Ab his temporibus usque ad Comitum tempora, fatalibus silentii tenebris cuncta ferme involuta latitant, nisi quod inter Francos, qui ad Rhenum juxta Oceanum sedem posuerant, vicinosque Batavos à Valeriani imperio, usque ad Juliani Principatum acerrima exarsere bellorum incendia, donec mutuo attritis viribus Franci in corpus nomenque Batavorum coälescerent. Quorum incredibilis maritima virtus, atque audacia Europæque, Asiæque, atque ipsi Africæ ingentem horrorem incussit. Quippe sub Probo Imperatore, anno CCLXXX sedecim millium armatorum hominum multitudo in Pontum Euxinum se effudit, cunctas naves, quîs mare constratum, repentino impetu invasit, diripuit. Neque interea viri fortissimi tempus trahere, verum instar fulminis cuncta prosternere, mare internum sub jugum mittere, Asiæ Græciæque oram populari, Lybiam infestare, Siciliam nobileisque illas Syracusas deprædari, denique aucti immensis opibus per fretum Gaditanum circumnavigata Hispania in Batavią reverti. Trajecisse aliquotiens Batavos in Britanniam, sub Valentiniano etiam Londinum cepisse, Britanniæq; rectorem Civilem datum Ammianus commemorat. Posterioribus temporibus, antequam Comitum virtus Barbarorum violentiam fregit, Wilti, Slavi, & inprimis ferocissimi Normanni, qui infestam sui pelagi rabiem imitabantur, modo maria pyratica fatigabant, modo Bataviam, quæ tum Frisia dicebatur, fœdis populationibus vexabant: & quanquam summopere contra enitebantur

Batavi,

Batavi, nihil tamen profuit virtus, dum fatalis calamitas cuncta turbaret, atque horrida illa tempestas prædonum, instar rapidissimi fulminis obvia quæque concuteret. Sub imperio Caroli Magni anno DCCCX Danorum Rex Godefridus classe ducentarum navium Frisiam populatus, furiosos impetus non tantum mari strinxit, verum & advorso ignium furore, truculentisque cædibus cuncta implevit. Queis occurrendum ratus Imperator, Flandros ad expediendam classem incitaverat. Cæterum dum res nostræ in summo versabantur discrimine, Godefridum opportuno tempore violenta fati necessitas abripuit, quem alii à satellite, alii à proprio filio, cujus matrem superinductâ aliâ thalamo ejecerat, obtruncatum referunt. Hinc pro tempore secuta quies depositio armorum furore. verũ subLudovico & Lothario non minor clades, ita ut hæc regio continua calamitate nobilis esset. Incensa aliquotiens oppida, pagi, arcesq; ; promiscue in omneis cædibus sævitum, ipsi sacerdotes pro victimis ante aras jugulati, vastities ubique incolarum, maria impedita, facies rerum ubique miserabilis, donec primus Comitum Didericus Normannorum truculentam ferociam contunderet, frangeretq;.

CAPUT II.

DE

PVGNA CIRCA DAMIATAM ÆGYPTI VRBEM. ANNO MCCXVIII.

AD bellum sacrum jam ante Principes Christianos religiosa pietas concitaverat: cui Fredericus Barbarossa Im-

perator, Philippus Flandriæ, Florentius Hollandiæ, & Otho Geldriæ Comites nomina dederant. Verum ubi Cæsar aquis hausſtus mortalitatem implevit, Florentiusq; item fato ceſſit, in pejus labi res Christianorum cœpêre. Anno demum milleſimo ducenteſimo decimo & ſeptimo iterum præter alios plures Gulielmus Florentii filius ſacræ ſe militiæ dedit. Vlardinga, antiquum & nobile Hollandorum olim oppidum, Moſæ flumini incumbit, aquarum violentia detrita, dum ad ſe cuncta trahit Neptunius amnis. Trecentarum naviũ claſſis ibi in anchoris ſtetit, quæ ubi ventis ſecundis vela intendit; Galliæ Hiſpaniæq; oras prætervecta, Olyſſiponem Principẽ Luſitaniæ urbem appulſa eſt, ubi cum Comes Alchaciam caſtellũ Saracenorum, qui totã Hiſpaniam infeſtabant, vi domuiſſet, ſequenti vere in Syriã devectus, Damiatæ urbis, quæ Nili oſtio Tanaitico incumbit, obſidionẽ, collatis cum aliis Chriſtianis Principibus conſiliis, decrevit. Oppidum illud Ægypti tum clauſtrum cenſebatur, & maritima potentia nobile. Tamiatin etiam prædicat Stephanus de Urbibus. Non eſſe Peluſium antiquorum juxta cum eruditis cenſeo, cum ad Tanaiticum oſtium ſe expandat. Turris immenſi operis, & multi militis capax, aditum urbis præcludebat, atque interius catenæ veluti fluctibus injectæ ingreſſum navium prohibebant. Neque obſidione urbem premere facile, niſi munitiſſimo illo propugnaculo ſuperato. Diu ibi laboratum, vincendi tandem pertinacia novam artem invenit: ſicuti ingenium mortalium tum valet, cum neceſſitas & gloria urget. Quinet dum dubius animus huc atque illuc fluctuat, in præcipiti malo incerta conſilia non imperite adhibentur. Auctores erant Kenemarii, ut ſerratis in prora navibus vento ſecundo catenas per-

perrumperent. Difficile hoc factu videbatur, cum craſſitiem quinque pedum æquaſſe ſtrictas catenas traditum ſit. Verum multa experiundo eveniunt, quæ nemo mortalium contingere poſſe, ſibi perſuadere potuit. Quippe ſerratæ naves, tumido & ſecundo vento delatæ, perruperunt craſſos illos obices, tela & lapides deſuper jactantibus Saracenis. Cruentum ibi noſtris certamen fuit, quia tuti & ſecuri hoſtes ex alto certos & lethales ictus in inferiores intentabant. Tollenonibus & ſambucis demum in ſublime attractis, quæ jam faſtigio turris æquales erant, æquali certamine dimicatum eſt. Verum ubi emiſſum machina incredibili impetu ſaxum tabulata frangeret collideretque, infractus tamen & intrepidus noſtris animus ſtetit. Quippe dilapſis propugnatoribus in inferiora, ſpiritus tamen in ſublime ſe erexit. Ille ſolet eſſe Batavorum genius, ut aſſiduâ induſtriâ & celeritate omnes labores ſuperent. Uti enim in otio luxui & deſidiæ propiores ſunt, ita in negotio aſſidui, temporis parci, continuis laboribus robuſtum, ſtrictumque corpus ſibi parant, quîs veluti nutriuntur. Nulla iis quies vel tranquillitas, niſi prava Fortunæ correxerint. Præcipue nautica pubes in contrario & frigido elemento ignibus ſuis plus ſatis incaleſcit. Tollenone itaque dilapſo, novum opus incredibili celeritate fabricarunt, ut veluti munere divino tranſpoſita illic machina videretur. Junctis duobus navigiis quatuor mali, totidemq; antennæ erectæ, faſtigioq; eorum inſtrata tigna, cum lorica coriis obducta, quorum ea natura, ut impetum lapidum telorumq; ſiſtant, comprimantque, non incerto in noſtra quoque militia experimento. Ab imo ſcalæ ſuſpenſæ validiſſimis funibus, triginta pedes ultra proram ſubli-

mes prominebant. Inusitatum hoc Barbaris machinamentum (Sambucam tamen non dissimili modo describit Polybius) horrorem incussit, Saraceni tamen acriter resistere, audacia certare, rigido lapidum ictu impetere, horrido igne pice & vivaci sulfure incenso affligere, ita ut haustus ignis viscеribus, nonnullis spiritum intercluderet. Verum Nostri animi igne superiores hac ferali flamma, tam densis telorum imbribus Barbaros obruunt, ut compulsis ad interiora turris hostibus tabulatum superius tenerent. Plures, dum per fenestras se in aquas præcipitant, vitando mortem, incertam incidêre. Verum Saraceni interius pressi superiores nostros acri & mordaci fumo abegerunt. Hæc autem calamitas occasio fuit majoris virtutis, quæ lacessita omnem patientiam superavit. Ambitus turris modica terra cingebatur. In hanc insultans magno impetu noster miles, dolabris portas perrupit. Ita cessêre certis conditionibus validissima claustra, sicut nihil fortitudini & labori invium est, Nostrorum sociorumq; violentiæ. Turri superata, novus & immensus labor urbem ad deditionem cogere, quæ tribus munitissimis muris cincta inexpugnabilis erat. Itaque lenta potius fame premere cives, quam irrito nixu armorum visum fuit. Interea Corradinus, qui Saladino mortuo apud Saracenos summum imperium obtinebat, enixe cuncta procurare, quæ ad tantæ urbis liberationem excogitari poterant. Quippe necessitas cum utilitate juncta eum urgebat, quæ magna sunt virtutis incitamenta. Aliquotiens castra nostra non sine clade adortus, aliter fortunam tentandam ratus, eliciendo Nostros, qui campestri huic prælio parum assueti erant, pene ad extremã eos calamitatem redegisset,

giſſet, niſi rex Hieroſolymorum Ioannes Barbaros ſingulari fortitudine ſtitiſſet, atque ita Noſtri ſe in caſtra recepiſſent. Neque verò miles noſter frangi animo, ſed ſpiritum ex adverſo caſu ſumere, & quod ſublimis mentis indicium, non cedere obſidionis oneri, ſed obniti. Omnia perrumpit conſtantia & aſſiduus labor. Et ſapientis eſt cunctando vincere, ubi pugnando non licet. Potior eſt illa victoria, quæ certa etſi tardior, quam quæ per incerta caſuum temerario acquiritur. Poſt annum itaque obſidionis (addunt alii ſeptem menſes) Nonis Novembribus Anno cIↃ cc xix. civitas adacta eſt poteſtati Chriſtianorum ſe dedere, multis millibus fœda peſte conſumptis. Guilhelmus Comes re bene geſta ſequenti anno domum reverſus eſt.

CAPUT III.

PRÆLIVM INTER HOLLANDOS ET FLANDROS, Anno cIↃ cc xcv.

PLures Flandrorum propter Zelandicas inſulas bellorum motus contra Hollandiæ Comites exarſêre. Vicibus ſuis modo quies, modo turbulentus belli furor aquis atque terris incubuit. Neque fœderum ulla ſanctimonia, adeò præceps dominandi libido transverſos abripuerat. Guido Flandriæ Comes hac tempeſtate in ſpem occupandę Zelandiæ adductus, quod Nobilitas ejuſdem minus æqua Comiti Florentio eſſet, claſſem in advorſa litora ſtringere meditabatur, jamq; adeo mortẽ, rapinas, poſtremo omnia, quæ hoſtilis animus lubet, minitari. Interea Florentius,

animi acer, gloriæ militaris avidus nihil intermittere, quod ad tanti belli molem neceſſarium duceret, antequam ipſe adventaret, per Legatos populum ad fidem adhortari, denique coäcta militari juventute ipſe Vliſſingam contendit. Heic non morandum ratus, arma hoſti opponere, quàm eundem operiri potius duxit. Reneſſius itaq; juſſu Principis Flandriam armata manu invadere, Sluſam ignibus fœdare, agros quaquavorſum populari, tribus denique millibus Flandrorum cæſis vel captis in Zelandiã revorti. Friſii quoque duce Brederodio animo feroces, ex vicinâ Flandriæ inſulâ Catzandiâ prædam agere, trahere, rapere, militem contra nitentem cædere, poſtremò, tanquam inſulâ capta, lubidini ac licentiæ victorum cuncta exponere. Flandri, quos non mediocris dolor inceſſebat, ſibi ſperatam victoriam non tantum adimi, verum contra hoſtes inſolentes dominationem in propria regione agitare, ne viderentur ſocordia, vel ignavia bonam occaſionem corrumpere, Beerlandiam ignobilem Zelandię inſulam invadunt, & populantur. Florentius, qui jam ante Zirizeam profectus fuerat, mature admodum Dodinum Everingũ, & Borſalium expedita claſſe & milite, eò contendere imperavit. Quibus hoc optimum factu viſum fuit, uti alter ſubito concito tumultu hoſtem à tergo adoriretur, alter fugientem ad naves militem ſiſteret, & claſſe naveis illorum diſturbaret. Et quidem conſilium hoc probe ceſſit. Inopino enim tumultu excitis Flandris, facile oppreſſi, pauci virtutem armis oſtentabant, relliqui, in morem pecudum fugati, ſparſis armis ad naves ſe recipere nitebantur. Cæterum dum Noſtri ſua claſſe hoſtiles naves attentant, metu hoſtes conſternati, undique circum-

cumventi, animo & corpore facile ſuccubuêre. Fœda illa & miſerabilis ſtrages fuit, namque aut ferro cędebantur, aut qui natando aſſueverant in profundum inſilientes, diu cum fluctibus luctati, magis aut minus mature, poſtremo tamen aquis obruebantur. Plures quam mille tam ignobili letho periere. Ex tribus millibus hominum, quos in Zelandiam trajeciſſe conſtat, trecenti modo navibus incolumes ſua tetigere litora. Una quoque navium, quæ fugientes vectabat, majori Noſtrorum violentiæ ceſſit. Captivis imperator effuſus clementia parci voluit, eò quod inconſulta multitudo huc atque illuc fluctuans Duces Factionum utplurimum ſequitur, ipſa culpæ expers ex aliena libidine vitam agit, & prout illorum, qui dominantur, ſimultas vel arrogantia fert, ita bonum malumque publicum exiſtimat. Nudos tamen in patriam remitti placuit, retentis iis, quos dignitas vel opes in excelſo collocaverant. Contigit hæc victoria Anno cIↃ-cc xcv viceſimo & ſeptimo Octobris die.

CAPUT IV.

PRÆLIVM INTER HOLLANDOS ET FRISIOS ORIENTALES

Anno cIↃ cc xcviii.

ANnus agebatur milleſimus ducenteſimus & nonageſimus octavus, cum fœdis admodum conditionibus, Friſii Occidentales victoris Comitis arbitrio ſe ſuaque omnia permitterent. Wilhelmus Trajectinorum Antiſtes irâ concitus & æſtuans, Orientales Friſios ad arma concitat, cui, cum Pontificis Romani juſſus obtenderetur, morem non-

gerere

gerere magna illos relligio inceſſebat. Cum non modica hominum confluxiſſet multitudo, Præſul, quem pacis artes magis decebant, deſiderio belli quam maxime flagrabat, & confeſtim milite navibus impoſito, vento ſecundo juxta Monachodamum militem terræ exponere ſatagebat, cæterum incolarum & ruſticorum ferocia incepto patrando obſtitit. Sicuti autem maxima quæque facinora impetu valent, mora evaneſcunt, ita in celeritate præſidium rati vicini Kenemarii & Waterlandi, quorum animos horridos cælum & ſalum induraverat, expedita claſſe Auſtralem ſinum ingrediuntur, & primo inſultu navem milite refertam à cæteris abſtractam facile expugnant. Leve quidem hoc initium, ſed futurę victorię non incertum fuit præludium. Prout enim prima quęque cedunt, talem exitum Fortuna ut plurimum indulget; quę ubi nutare cepit, prępipiti gradu à ſummo declinans ad infima prolabitur. Felicitate gliſcit audacia, adverſa rerum etiam fortiſſimum quemque dejiciunt. Diu acriter admodum certatum. Multitudini navium hoſtis, Noſtri agilitati fidebant. Tandem, quanquam contra vim majorem pervicax hoſtis obniteretur, captis aut depreſſis pluribus navibus fœda fuga ſibi conſuluerunt; quîs fugientibus majus periculum, major clades, quã certantibus. Multa hominum millia cecidere, plurimi capti. Antiſtes clade tanta perculſus, cum vix cymba evaſiſſet, ad moderata poſtmodum pacis conſilia flexit, quam tamen iterum perfide rupit.

CAPUT

CAPUT V.

PRÆLIVM INTER HOLLANDOS ET FLANDROS, Anno cIↃ cccIV.

CUm Philippus Pulcher in Gallià rerum potiretur, Regiique exactores Flandros violentius premerent, atterentque, primò seditiones motæ, dein ad bellum ventum est. Tota Flandria excepto Gandavo, Gallorum nomen ejuravit. Tumultuum scintillas accenderat Petrus Coningus, artificio fullo, quem inconsulta plebes, quæ rerum novarum studio suis sæpe periculis lætatur, patronum elegerat. Accessit autoritas, dum se socium laborum periculorumq; exhibent, Guido Namurcæus, filius Comitis Guidonis, & Guilhelmus Juliacensis ejusdem ex filiâ nepos. Huic bello se quoq; involverat Hannonii gener Atrebatensium Comes. Cui cum accessissent sub imperio Osterbandii Hannoniorum auxilia, prope Cortracum fortiter dimicatum est, à Flandris victoria stetit. Cumque iidem Hannoniam infestarent, sicut post victoriam Fortuna impetu valet, Ioannes Hannonius Hollandiæ Comes, opem Batavorum implorans facile impetravit. Verum ea militandi ratio melior Proceribus sedit, ut Hollandi Zelandiq; ipsam in Flandriam irrumperent, quò relicta Hannonia propria defendere Flandri cogerentur. Guido in Catsandiâ militem suum coëgit, unde facilis & opportunus in Zelandiam appulsus. Verum Gulielmus trajecto freto acri certamine Flandros Catsandiâ ejecit, atque Arnemudam reversus, victor per ora cunctorum volitabat. Victus fuisset hostis, nisi proditio vi-

 cisset,

ciſſet, quæ lubricum adoleſcentię in tranſverſa abripuit. Prima illa ętas facile proditorũ artibus patet, dum ſub ſpecie amicitiæ tutò inimici imponunt. Labante Fortuna tota fere Flandro Walachria ceſſit, Guilielmus Medioburgo occupato Zirizeam ſe receperat, quæ arcta mox obſidione preſſa. Adventu Comitis ex Hannonia induciæ compoſitæ, ſed mox ejuſdem ſenectus, curſu vitæ pene jam confecto, annis &morbo ingraveſcens, in præſentem contemptum incidit. Devicta tota fere Zelandia, in ſola Zirizea momentum Fortunæ ſtabat. Tota quoque nutabat ſeptentrionalis Hollandia, Harlemo excepto, ſed illa virtute &odio in hoſtem concitata brevi jugum excuſſit. Hollandia ejectus Flander Zirizeam magno molimine obſedit, ſed inaudita civium virtus omnes conatus contudit. Nullo modo ſe dedere, pertinax illorum fuit fortitudo. Magna autem pars eſt victoriæ vincere velle, & morti potius quam alienæ poteſtati ſuccumbere. Qui potuit mortem contemnere, omnia contempſit. Tranquillitas animi, & abſoluta libertas ſupra omne hoſtium imperium eſt. Armis, annonâ fatigati hoſte tamen ſuperiores fuere. Ultima jam fortiſſimis civibus incumbebat neceſſitas, niſi trahendo obſidionem validâ manu ſuppetias ferret Oſterbandius. Ita inter metum atque ſpem dubii adverſa & ſecunda ſibi pollicebantur. Regneri Grimaldi Præfecti maris, nomine Regis Galliarum ſuppetiæ expectabantur. Sicut autem non ignavia & ſocordia, ſed induſtria & vigilantia imperia continentur; ita Guilhelmus nihil minus quam ſegnis, aliquotiens Regnerum officii & extremæ Zirizeanorum calamitatis monuerat. Ille longas moras circa Caletum nectendo, tandem anchoris

ſolutis

solutis in laxum Mosæ ostium feliciter appulit, atque undecim triremibus, aliisq; triginta & octo navibus, juncta Osterbandii classe rectà Zirizeam petiit. Cuncta quidem mortalium incerta, nihil incertius mari, quod elementum ventorum flabris agitatū ancipiti fluctu movetur. Ventis iniquis fluctibusque adversis jactati decimo & tertio die Grevening gam (quam maritimam sedem hodie Gravelingam indigetant) locum non longe à Zirizea dissitum appulêre. Incensis ignibus patuit civibus pulcherrimus prospectus veluti adventantis victoriæ, quam & animo ignei conceperant. Ipsi quoque excitatis ignibus beneficium agnovere, antequam peractum esset. Namque in conspectu classis nostræ certam sibi liberationem spondebant. Nulla res magis animos dubios obsessorum, & ad desperationem inclinantes erigit, quam propinquum in conspectu auxilium. Sperant ad extremum usque, & sibi secundam Fortunam pollicentur; etsi exigua evitandi pericula spes suppetat. Belli dux nihil magis timebat, quam ut illum fortissimi cives vel hostem timere, vel desperare crederent. Itaque postero die prope Zunnemariam prætervectus Scaldiæ insulæ oram, in hostium, & oppidanorum conspectu anchoras fixit. Nullum aliud avertendorum periculorum remedium erat, quā extrema pericula adire. Neq; consilia in incerto erant, quia nulla alia ratio subsistere poterat, quam navali prælio cum hoste confligendi. Hostem sua veluti potentia (ducenta enim millia hominum habuisse in hac obsidione Stokius refert) & rerum successus defendebat, nostros vincendi ultima cupido urgebat. Ioannes Renessius, qui cum Flandro arma junxerat, crebris Trajecto literis Guidoni autor fuerat, ne fortu-

nam incerto maris committeret; Regnerum archithalaſſum militiæ illius veterem eſſe, terreſtri prælio magis aſſuetum ſuum militem, ſi uſpiam in mari Fortunam dominari, nonnunquam turgidum, aliquando tacitum & quietum mare noxium eſſe. Verum gloriæ cupido abripuit Guidonem, qui terreſtri gloriæ maritimam jungere ſatagebat. Parte exercitus ad Zirizeam relicta, cum cæteris claſſi ſe commiſit, & navigiis & numero militum ſuperior. Guilhelmus annonæ cauſa nonnullas naves emiſerat, quîs præſidiariæ longæ adjectæ erant. Hæ frumento onuſtę in Zelandorum claſſem inciderunt, atque in manu victoris fuiſſent, niſi longæ impediiſſent. Acri prelio fuſi hoſtes, prędę tamen inhiabant, atq; extremas navium tentabant. Pugnare & defendere res ſuas, longe difficillimum, præcipue vago & fluxo elemento. Una noſtrarum, accedentibus mox aliis, ita quatuor hoſtium naves adorta, ut fluctuantes per adverſa & extrema, ne maris & navium obſidione premerentur, relictis ſuis navigiis terreſtri fuga ſibi conſuluerint. Initia belli præliorumque fama conſtant, victosque infortunium dejicit, raroque victis redit in præcordia virtus. Serio itaque decretoriis armis hoſtem aggredi Oſterbandio viſum. Dies illuxerat Auguſti decimus, cum ingens navale inchoatum prælium. Quatuor in fronte navibus imperabat Ioannes Padrogus, militiæ maritimæ gnarus, ſed vadorum in his locis imperitus in ſicco arenarum hæſit. Expectare itaque tempus Gulielmus debuit, donec fixa navigia æſtu maris attollerentur. Occaſionem hanc nactus Guido Namurcæus, incendendi illas ſpem concepit. Incendiariæ navi flamma ſuggerebatur, quæ ſulfure atque bitumine fovebatur. Hanc ſecundo vento

pubes

pubes nautica in noſtra immittebat navigia, & ubi propter ignem in ſcaphas deſilierat, etiam contis ſed fruſtra promovere nitebatur. Padrogus in aquis incendium metuens, velis madidis, quantum in ſe erat, naves tegere, quo ſubita ignis vis obtunderetur. Verum dum ſubitò ventus vortitur, ſuis pene ipſi flammis hoſtes perierunt, ſociique, qui ſcaphæ ſe commiſerant, ægre ad terram delati evaſerunt. Sequenti nocte ſomno & quieti ſe Noſtri dederant, nihil auſurum Guidonem rati: ſed ille ſomno victos preſſosque credens, ſubitò in noſtram claſſem invehitur, primoque aſſultu quatuor captis, cæteras magna vi adoritur. Vigiles militem excitare, tumultu omnia implere, miles contra excuſſo ſomno fortiter obniti, adverſa ſuę ſocordię imputare, turpe cenſere victũ victori incumbere: Oſterbandius verò conſternatos confirmare, incitare, ad virtutem ſuo exemplo cogere. Neq; minus Guido ſuos urgere, ultimũ hoc prælium laborũ finem prædicare, immortalem gloriã, opima ſpolia, quîs militaris juventus potiſſimum incitatur, ob oculos ponere. Audendum tantum, cætera in proclivi eſſe. Occupatis quatuor navigiis perculſos hoſtium animos. Victoriam jam inchoatam, turpe fore ſi non perſequantur. Ita utrinque expedita claſſe prælium adoriri, clamore nautico cælum implere, arma armis nectere, telis tabulata navium tegere. Cruenta hæc maxime pugna, quia in anguſtiis certa tela figebantur. Utrinque vitæ prodigi mortem incurſabant, neq; inulti in armis moriebantur, dum furor ultimus mentẽ præcipitem agebat. Guido Namurcæus numero navium & denſo milite potior, pluribus ſuis ſingulas Hollandorum cingere, atque opprimere tentavit. Quod unus ex præfectis

nauticis conſpicatus, ſingulari ſpiritu hoſtium vitæque contemptor, in mediam hoſtilem claſſem prorumpit, hortatus cæteros, ut auxilia & ſuppetias ferrent. Hoc exemplum cæteros traxit, ne amicum in præſenti periculo deſerere viderentur, quibuſdam etiam pudor ad virtutem incitamentum fuit. Tum primum atrox & cruentum conſertũ prælium, adverſo corpore paſſim tela figebantur, in cadaveribus vindictæ adhuc cupido hærebat. Guido ſpe potiundæ victoriæ incenſus edixerat, ut nulli parcerent, atque in exorabili lege omnes ad internecionem uſque delerent. Altius hęc in pectus Noſtrorum deſcendit crudelitas, itaque in animum induxerunt ſuum, ſi ſe ſubducere ex ruina nequirent, eâdem hoſtem involvere. Extremę neceſſitati addita eſt extrema virtus, quę ita in immenſum creverat, ut mortem juxta atque vitam contemnerent. Horrendo clamore in hoſtem irruere, cędibus paſſim graſſari, victoriam ſpirare. Neque minus hoſtis noſtros premebat ſimul junctis viribus. Una ex Flandricis navibus, corbe ſuperius ad mali culmẽ milite ſtipatâ, atrociter noſtris imminebat, quia ex alto in depreſſa certa tela immittebantur. Victa demum eſt calamitas infracto pectore, dum Fortuna vicit. Preſſa forte nimia gravitate corbis, ruptis vinculis militem ſubito, vel in mare pręcipitem egit, vel colliſis membris tabulatis impegit. Ibi Batavica pubes hoſtili calamitate accenſa audaciter in tranſtra hoſtium tranſilivit, atq; ſanguinem ſuum hoſtili ſanguini miſcuit. Neque Flandro animus ſubſidit, cui exęſtuante ex imis pręcordiis ſpiritu concitum in vindictam corpus, & aſſueta ſanguini truculenta manus. Verum quia hoſti difficilis ad ſalutem recurſus erat, plures

con-

confossi, plereque naves in fugam acte, aut aquis merse obrutæque. Interea Padrogus, qui diu in vadis hæserat, pugnandique potestatem non habuerat, tandem æstu fluitantibus navigiis, majori confidentia fessos ubique, qua vela direxerat, pressit, devicitque. Ita ad meridiem pugnatum, ad septentrionem ægre hostis pellebatur. Neque tutum erat se subducere, ne fugientibus similes virtutem hostium accenderent. Artificio hoc usus Osterbandius, quia cominus certamen conserebatur, ut ignita in hostium naves ligna immitteret, quîs extinguendis dum occupatur miles & nautica juventus, fumo denso in oculos converso, incertis ictibus dimicabant, dum amicos passim hostium loco trucidarent, à nostris autem pressi certo occumberent. Ita metu exterriti degeneri trepidatione fuga sibi consulunt. Dum hæc in dextera parte geruntur, dubius rumor ad aures Osterbandii venit, Nostros alterâ fugæ proximos esse. Properanti ad suppetias ferendas nunciatum, hostem quoque in ea parte debellatum. Nam consternati clade sociorum, juxta primã victoriam alterã veluti obtulerant. Tam bonis auspiciis Fortunam prensare, atq; hosti fugienti insistere visum fuit, ne tempus ad colligendas vires caperet. Sed Flander & terrore & necessitate victus, relictis turpiter navigiis, telluri se commisit. Naves occupare sufficiebat cordato Imperatori, ne hostes, à tergo pressi, dum extrema præ oculis, ad audaciã accingerentur, & ultima necessitas pugnandi legem imponeret, fatali sæpe in bello rerum mutatione, ut exiguis momentis fors belli invortatur. Interea fractus Fortunâ non animo Guido, etsi dispersos passim & fugitivos suos videret, omnia experiri, & sicut magnum Imperatorem magnus animus decet,

extre-

extrema tentare, etiam aggredi Osterbandium, sed frustra ausus. Interea cives fortissimi Zirizeani inter spem metumque positi, Martis dubii eventum, negotiumque Fortunæ expectabant. Obscurum noctis prospicere non permittebat, & mendax rumor, autore Flandro, qui circa urbem vagabatur, animos perculerat, quo victum Osterbandium, classem fugatam, ferebatur. Dubia tamen fides, sive quod indices suspecti essent, sive quod firma & credula spes illud non admitteret. Verum ubi prima lux noctem abegit, hostibus victis vel pressis, gaudio tripudiare, Deo gratias agere, qui gravissimè afflictos liberasset, confusæ antea menti gaudia reddere, eo lætiores, quo majori ante dolore fracti turbatique fuerant. Juvenes, senes, pueri stipati manus ad cœlum tollere, sibi invicem gratulari, & prout cuique publica lætitia verba dictabat, effundere. Guilhelmus victoriam prosequendam ratus pressos ulterius fatigare; ne hostis iterum vires colligeret, omnem occasionem præcidere, sicuti præliorum maritimorū incerta est & lubrica possessio. Guidonis Prętoriam navem quatuorq; alias cinxerat Regnerus Archithalassus, sed Guido incredibili animi magnitudine ita Gallis restitit, ut ad Nostros se recipere cogeretur. Osterbandium hoc ęgre ferentem pugnandi iterum pręceps cupiditas rapuit, ne ille elaberetur, in cujus captivitate potissimum momentum victorię erat. Post grave prælium Guido victus captusque Nostris cessit, qui tanto furore & odio correpti in eum fuere, ut, nisi propere Gulielmus violentis manibus eum subduxisset, atque Regnero in Galliam deducendum obtulisset, extremam vim passus fuisset. Nihil acrius accendit mortalium pectora, quam vindictę cupido.

Alie-

Alienis calamitatibus humana ſorte ut plurimum indoleſcimus, propriis ad ulciſcendum urgemur. Guido multarum calamitatum autor fuerat, cujus ſanguine tantum crimen vindictę cupido militi expiare viſum fuit. Neque multum incuſari militare vulgus poterat, niſi malum exemplum Principibus eſſe cenſuiſſet Comes, in Principum vitam ſævire. Subtractus itaque illorum ferociæ Guido in Galliam ablegatus, ut honeſtâ ibi includeretur cuſtodiâ. Hoc prælio decem millia hoſtium cæſi, captivorum numerus ſubductus non fuit. Mille & centum naves (inter quas proculdubio etiam minores) captæ cum omni militari apparatu. Quo prælio gravi Flandrico bello finis impoſitus, undecimo die Auguſti, cum à matutino tempore uſque ad meridiem ſequentis diei magnâ utrinque fortitudine dimicatum eſſet. Tunc conſummatum plenumque bonum habet Fortuna, cum calcato omni malo in tuto poſita eſt. Itaque poſtquam Regnerus cum captivo Guidone in Gallias abiiſſet, Gulielmus Zirizeam contendit, partim fovendis curandisque vulneratis, partim ut hoſtilem militem, qui ante urbem à Guidone relictus, vi & armis ſubigeret. Plerique navibus conſcenſis vela intenderant, ut Flandriæ litora pertingerent. Reliquis, quia omnes navigia capere non poterant, inter arenaceos colles Scouwanę inſulæ refugium fuit. Queîs, niſi extrema mortis intentaret victor Gulielmus, jugum accipere conſilium erat. Noverat Oſterbandius de vita deſperantibus non eſſe nimis acriter inſiſtendum. Sicuti ictus ſcorpionum tum maxime letales, cum extrema imminent: ita etiam hoſtes tum ſæpe maxime lædunt, cum in anguſtias redacti, unde pedem referre nequeunt, in fu-

rorem rapiuntur. Sex itaque millia deditiorum in poteſtatem Oſterbandii venêre, parati juſſa facere. Carceres ubiq; captivis pleni premebantur, qui veluti pecudes in ſua tenebricoſa antra abigebantur, niſi quod mille in tanta captivorum frequentia facile elapſi fuerint. Ita Scouwanâ inſulâ liberatâ, cæterę civitates ſolo terrore victæ, Middelburgenſes etiam victori gratulantes occurrerunt, more mortalium, ut ii, qui maxime adverſi fuere, primi plerunque officiis certent. Everſa à Flandris mœnia reſtitui juſſit Oſterbandius, ordinataque Rep. triſtis nuntius venit, parentem, qui diu morbo gravi decubuerat, præ nimio gaudio tantæ victoriæ vitam cum morte commutaviſſe.

CAPUT VI.

PRÆLIVM INTER MARGARITAM, FILIVMQVE EIVS GVLIELMVM,

Anno cIↃ cccli.

HAc tempeſtate, ſciſsâ in partes Hollandiâ, in mutuam civium perniciem ambitioſus Procerum populique furor gladios ſtrinxit. Cabeliavios Houxiosque ſe indigetabant, & cinericeo vel rubro pileo inſignes diſtinguebantur. Illi & quidem validiores Gulielmo, hi Margaritæ favebant, revera factionum Principes bonum publicum ſimulantes pro ſua quiſque potentia, vel utilitate, implacabili odio certabant, populus ſemel concitatus ſtudio partium ſuis admodum lætabatur periculis, & ferocienti mari ſimilis, neque humani neque divini quicquam relliquum fecit.

Paren-

Parentum liberorumque diversa sacramenta, cædes promiscuæ, vastities urbibus & pagis, templa violata, agri cognato sanguine imbuti,& tanquam sanguinem extincturi ignes passim crepitabant. Scelera sceleribus tegebantur, & propinquos consanguineosque occidisse virtus vocabatur. Utrinque & victores & victi Patriæ sibique graves. Dum ita nullo pudore flagitii inconsultus populus agitabatur, Cabeliavii,qui Margaritam imperio ejecerant, & contra nitentes hostes Reipublicæ pronunciaverant, ubi perfecto scelere magnitudinem ejus percepêre, animo impuro & inquieto Deo hominibusque infesti,Gulielmo, ut contra matrem parricidialia arma stringeret, iteratâ legatione persuadere tentant, cujus licet primò obstinatum animum tandem expugnarunt. Consternati adventu Gulielmi Hoexiorum primi magnis itineribus in Hannoniam contendunt, efflictim rogant Comitẽ, ne laboranti & fatiscenti Reip. deesset, Cabeliavios perfido furore omniũ cervicibus & fortunis imminêre,eosdem impotenti dominatione matri eripuisse imperium, ut filio traderent. Sese,quia pro illius auctoritate pugnarent, crudeli illorum potentiæ obnoxios, Deûm hominumq; fidem implorare,atq; suppetias contra vim publicã postulare. Abrepta iracundię oestro impotens sui fœmina,acerba quæq; filio minabatur, nisi imperio recederet. Verum nullis ille territabatur minis, quibus bellum non geritur, sed robore. Margarita itaque Anglorum Regis Eduardi subsidiis militem colligit, & in Walachriam vela dirigit. Cujus audito adventu Gulielmus ad omnes imperii curas intentus, constituit certaminis copiam facere, comparataque ingenti classe extrema omnia experiri. Neque è re ju-

dicavit adventum matris opperiri, cum præsentia Principis venerationem intendat, mobilisque plebes auctoritate & veluti præsenti numine terreatur, quæ nunc illi Proceribusque obnoxia, vel novarum rerum studio præceps agebatur, vel si inceptum facinus non probaret, contra niti ex impotentia nequibat. Proceres quoque tot facinoribus cooperti, si prospere res non cederent, omnia atrocia atque aspera sibi eventura non ignorabant. Itaque nisi victores, vitam atque mortem juxta æstimabant. Prælii utrinque copia facta inter Brilam & Gravesandam, qua vasto & præcipiti ostio in mare Oceanum Mosa aquas suas emittit. Gulielmus manu, voce, gestu, suos accendere, nullam salutis spem nisi in victoria proponere, heic aut virtutis immensa præmia, aut moriendi fœdam conditionem præstò esse. Satius esse pugnando occumbere, quam instar pecudum postmodum mactari. Facile fuisse novum aliquod facinus incipere, Principemq; eligere, nunc eundem armis tutandum. Contrà mater supra sexum animata ita suos allocuta: Virtute vestra & probitate fretæ obviam hosti an filio ire, certamen conserere, impotentem proditorum, qui immani avaritia, cruentis manibus, intolerabili superbia omnibus probis insultant, dominationem confringere, libertatem opesque vestras armis tegere, mihi consilium est. Sua nunc cuique dextra vindictam tot malorum pariet, atque iniquam omnium sortem excutiet. In manibus nunc vestris libertatem, opes, gloriam patriæ, salutem, portatis. Rogo & obtestor, ut quo animo fœdam vitæ conditionem toleraftis, eodem virtutem experiamini. Ego imperatrix, ego miles, periculorum consors, hic & animo & corpore præsentem me sisto,

me sisto, & mox, ut spero, Comes, nunc perfidia Procerum extorris, vobiscum agam. Ita accensi dissono clamore, infestis utrinque navibus concurrunt tanto ardore atque audacia, ut, nisi vincerent, mortem ipsam elegisse viderentur. Inprimis Cabeliavii, quos fortes ipsa rei necessitudo fecerat, tam furioso impetu pugnabant, ut victoriam tandem extorquerent. Namque propria salus eos supra modum efferaverat, non ignaros extrema victis imminere. Accessit & novi Principis autoritas, quem ne temere elegisse viderentur, tutari summa ope nitebantur. Cæsus Præfectus classi Anglicæ, plures alii, inter quos ex primâ nobilitate Costinus Renessius, ac Florentius Hamstedus mortem oppetierunt. Theodericus Brederodius, expeditionis præfectus manu & consilio promptus, fortiter pugnando, magnis difficultatibus circumventus, captivorum numerum auxit. Margarita tanta calamitate oppressa, diffidens rebus suis in Angliam profugit, cæteri periculo præsenti perculsi, mortis metu nutantes, cum nequicquam semel territi animi confirmarentur, cum totâ classe Principem suam insecuti, victoriam & imperium Gulielmo reliquêre. Quanta fuerit prælii atrocitas inde liquet, quod nonnulli autores supra fidem, integrum triduum Mosam sanguine decolorem præcipites aquas egisse memoriæ tradiderint. Pax pro arbitrio victoris ita constituta, uti illa, quoad viveret, in Hannonia duntaxat rerum potiretur, cætera omnia Gulielmo cederent.

CAPUT VII.

DE PRÆLIIS TEMPORE IACOBÆ.

Anno cIↃ cccc xxvi.

NULLA admodum quies in Batavia fuit, cum inquieti ingenii Princeps Iacoba Bavara rerum potiretur. Accedebat lubrico,& impotenti animo ſumma in matrimoniis contrahendis diſſolvendisque levitas, ambitio, & crudelitas. Quæ vitia varia Fortuna penſabat. Aliquoties terra victrix, mari ſemper inferior. Repudiato marito Ioanne Brabanto ad Hunfridum Gloceſtriæ Ducem, fratrem Henrici V Angliæ regis, animum inclinaverat. Hinc rebus in Hannonia adverſis ipſa captivitati mancipata, Hannoniæ regimen priori marito, Hollandię tutela Philippo Burgundo ceſſit, qui rebus turbulentis fortunam prenſabat. Gandavo, ubi detinebatur Iacoba, aſſumpto virili habitu elapſa, præcipiti audacia in Hollandiam venit,atque ſupra promiſſa Fortunę generoſum animum erexit. Sicuti autem preſentia & auctoritas Principis facile labantes animos fulcit, Scoonhovia primum, mox & Gouda, & Veteres Aquę Dominam agnovere. Rerum novarum cupidi Ultrajectini etiam fœdere ſe obſtrinxerant. Hinc cruentis admodum pręliis civilia arma inſonuerunt. Maritimo certamine bis pugnatum eſt. Dux Gloceſtrię ex Britanniâ Brouwershaviam verſus, quod Scaldię oppidulum eſt, dominum Filuaterrę cum ingentibus copiis miſerat, ut ſuppetias uxori ferret, quæ infelicem animum magnâ rerum potiundarum cupi-

cupiditate distenderat. Neque minori apparatu resistebat Philippus Burgundus, eo acrius, quod pro imperio & summâ potestate pugnari non ignoraret. Directæ utrinque acies in fluctibus, & milite armato tabulata navium fervebant, neque igneum fervorem Oceanus extinguere poterat. Summa cum prodigalitate sanguinis diu acriterque dimicatum, nutansque Fortuna tandem à Philippo stetit, cum Henricus Borsalius toparcha Verienſis, classis Præfectus, animo & corpore validus, incredibili virtute victoriam patrasset, & ob præclara facinora Equestrem obtinuisset dignitatem. Plures ex Britannis cæsi, nec pauci ex Nobilitate Zelandicâ, qui Iacobæ favebant. Illa tamen inconcusso animo stetit, & supra sexum, supra cladem invicta fuit. In Hollandia dubia sorte usa, classem circa Wiringam expedivit, cujus miles Enchusam ipso meridie ingressus, centum ex primoribus civium à geniali mensa detractos capite multavit. Invisa hæc populo crudelitas incitamentum vindictæ fuit. Crudelitas crudelitatem parit, atque exemplo suo docet: nihilque acrius fatigat & pungit mortalium pectora, quàm vindictæ cupido. Sequens annus, qui erat cIↃ CCCC XXVII, ultimam calamitatem justumque talionis exemplum Iacobæ attulit. Ingenti illa classe ausa tentare maria, sub ductu Guilielmi Brederodii, cujus miles cuncta in ditionem Principis redacturum vane jactabat: verum contra obniti Harlemum, Amstelodamum, Horna, aliæque maritimæ civitates, quæ potentia navali pollebant. Magnâ sui confidentiâ obviam hosti itum. Iacet in ultimis fere Hollandiæ finibus Wiringa insula, quæ quondam continenti hærens, simul cum Tessalia ab Oceano divisa, cum Anno cIↃ C LXX horrenda

renda tempestate, & violenta maris sævitia insulæ à terra avulsæ, atq; infuso stagnantes æquore campi vasti sinus speciem exhibuerunt. Prope hanc insulam stationem classis posuerat Brederodius animi acer, militiæ intrepidus. Naves Civitatum, quia multo Brederodii navigiis majores erant, propius accedere nequibant, quod aquæ minus profundæ & cæcis vadis cinctæ eas non admitterent. Neque vero confœderati desidia & socordia ibi tempus contrivêre, sed in conspectu adversariorum anchoris fixis, ita illorum naves pressêre, ut nullus nisi pugnando exitus esset. Gulielmus jam ante cum Texelia insula conditionibus factis, novas quoque amicitiæ leges Wiringæ parabat, probe gnarus, quantum in his insulis, quæ claustra essent Oceani, momentum positum esset. Verum ubi temporis commoditas consilium destruxerat, armis sibi viam quærere in animum induxit suum. Iussit itaque militem cum nautica pube propere se classi committere, cibo corpus & spiritus reficere, dein minoribus navigiis hostem adoriri. Iuncta virtuti sagacitas, tum demum manus conferendi, ubi incrementum maris resederat, sperans majora Civitatū navigia vadis hæsura, neq; proclive fore, ut fluctibus attollerentur. Ingenium duci prudentia validum, consiliumq; hoc firmis rationibus nitebatur. Quippe pluribus junctim navigiis cum pauciori-bus, quæ se jungere nequibant, proclive erat prælium. Consilium hoc posterior miles evertit, qui animo defectus, neque morem gerens jussis, Fortunam primum priorum navigiorum expectabat. Ita quibus junctis victoria in manu fuisset, separati facile victi. Etsi enim qui in principio stabant fortissime dimicarent, & pericula summâ virtute propellerent,

rent, à ſuis tamen turpiter relicti, tandem victi vel ferro, vel aquis occubuerunt, vel inter captivos numerum implevêre. Prima acie victa, omnibus admodum navigiis occupatis, ſubſidiarius miles in fugam actus, ab adverſa parte interceptus, ita ut nulli vel pauci admodum evaſerint. Fœderati enim, ubi victoriam adepti ſunt, nihil reliqui victis fecêre. Brederodius cum captivis Enchuſam delatus in præſenti mortis periculo verſabatur. Octuaginta captivorum ſanguine crudelitati in cives Enchuſanos ſuperiori autumno exercitæ litatum eſt. Pluribus ſuffragiis propter venerationem antiquæ nobilitatis exemptus eſt ferali ſupplicio Brederodius. Hoc prælio res Iacobæ ad incitas redactæ omnem ſpem dominationis exemêre, neque enim vires vel copiæ ullæ ſuppetebant, ſine quîs extrema omnia experiri dementia videbatur. Ab illa itaque tempeſtate otium iterum & tranquillitas Reip. incubuit, atq; ita lites compoſitæ, Anno CIↃ CCCC XXVIII, XIII Maji, ut Philippus harum regionum tutor, & poſt mortem Iacobæ legitimus hæres eſſet.

CAPUT VIII.

BELLVM MARITIMVM CVM OSTERLINGIS, An. CIↃ CCCC XXXIX.

Bellum hinc maritimum inter Batavos Oſterlingosque, atque alios maris Balthici accolas grave exarſit. Belli cauſa inſolens navigiorum direptio. Cunctis admodum mortalibus injuriæ ſuæ graves videntur, nullæ graviores, quam quæ cum jactura bonorum conjunctę. Repetitio

poſtulata,ſurdis ad id Septentrionalium auribus. Oſterlingi, inter quos Lubeca,Hamburgum, Roſtochium, Wiſmarium, cum Erico Rege Danię, Duce Holſatię, Pomeranis, & Boruſſis, denique cum Hiſpanis, Venetisque, qui iis quoque in locis tum commerciorum commoda quęrebant, clanculum contra Hollandos fœdus percuſsêre. Ita rupto fœdere generis humani conglobatę gentes commercia Batavorum interpellabant, jam tum ſtimulante invidia, ne maritima illorum potentia nimium creſceret. Infeſti hi piratę turbare ubique maria, bona diripere, naves perforare, captivos fœdis carceribus addicere. Philippus Burgundus componendis litibus diem dixerat. Acceſsêre urbium Vandalicarum legati, viri nobiles, Equeſtris ordinis duo, Henricus Rapeſilverus, Dantiſcanus, & Henricus Voratius,Lubecenſis. Hollandi & ſuos miſerant rerum gnaros, inter quos pręcipuus ex Amſtelodamenſi Magiſtratu Everardus Iacobæus. Damnum tabulis annotatum cenſebatur quinquaginta millium aureorum. Reſtitutione à Vandalicis civitatibus denegata, apertum iis bellum indictum fuit. Interea fabriles operę fervebant, laboribus dies noctesq; continuatę, tantaque velocitate naves conſtructę, ut ipſę arbores in rates ſubito mutatæ viderentur. Maximum bonum Hollandis in velocitate erat, nam tarde claſſem expedire,idem erat atque ſuas opportunitates corrumpere, hoſtem ſtabilire, atque vires ſuppeditare, quę poſtea frangi nequirent. Pluribus itaque bellicis navigiis in altum profecti horrorem Oceano intulerunt, & prima ſtatim expeditione viginti hoſtium navigia cepêre, litora Hiſpanię infeſtarunt, ita ut quicquid ex portibus ſolveret, prędę cederet.

deret. Tres Biſcajenſes occupatę, una item Veneta pretioſis mercibus opulenta, bonis direptis igni tradita. Edixerat Burgundus, ſicuti magna conſilia ſæpe impetu valent, ut cunctis admodum navigiis, quæ Septentrionem petebant, manus hoſtiles injicerentur. Neque mora, noſtris ratibus ubique mare ſulcabatur, eò denique magnitudinis gloria virtutis Batavicæ proceſſit, ut potentia maritima non amplius Fortuna egeret, ſed ſupra omnem fœlicitatem poſita eſſet, atque hoſtibus horrorem incuteret. Nullis niſi Hollandicis velis aquæ pervię erant, & in ſignum purgati Oceani ſupremis in malo corbibus ſcopæ conſtitutę. Anno CIↃ CCCC XL ingens Oſterlingorum claſſis cum viginti tribus Boruſſorum navigiis ſine ullo fere prælio ſolo terrore ſuperata eſt. Boruſſi relictis ſociis intentis velis fugæ conſuluerant, ſed ſeorſim excepti primi in victorum manus venêre. Secuta hinc totius claſſis deditio. Qua victoria flamma virtutis pubi nauticæ in immenſum crevit, neque prius ſedari potuit, quam fortitudinem cum gloria æquaret, imo famam ſuperaret. Magni animi proprium eſt neque adverſâ fortunâ dejici, neque ſecundâ inſoleſcere, & in victoria fœlicitati poſſe modum ponere. Raro victor ſe ipſum & affectus vincit. Utrinque victor Batavus etiam hoſti pepercit, nulli ſanguinolentas manus intulit, nullum vinculis & carcere clauſit, ſed omnes ſine lytro libertati aſſeruit. His difficultatibus circumventus hoſtis per aliquod tamen tempus lacertos movit, ſicuti morbo fere abſumpti huc atque illuc vortere corpus ſolent, nullamque requiem inveniunt. Tandem Anno CIↃ CCCC XLI, die S. Iacobi circa Norvegiam tria immenſæ molis bellica navigia veluti caſtella maris

procul ſe oſtentabant, queîs occurrebant ſex, vel ut alii referunt, tres depreſſæ noſtrorum naviculæ, quadringentis circiter & quinquaginta viris refertæ. Illi manu prompti, mari ſupra modum exercitati, gloriæ militaris appetentes, prædę cupidi, quæ etiam mediocres virtute viros tranſverſos agit, ſtatuerunt ſe objectare periculis, & fortunam tentare. Ludibrio ea res Oſterlingis habita, jactatumque per facetias militares naviculas Batavorum omnes ſimul uno ſuo navigio collocari poſſe. Dum tam altos & ſuperbos ſpiritus gerunt hoſtes, contemnendo noſtros facile ſuperati, quibus neque conſilium, neque virtus deërat, nullumque inceptum fruſtra erat. Incredibili enim fortitudine hoſtem adorti, & in tabulata navium proſilientes, paſſim eundem ferire, occidere, ita ut cadaveribus omnia conſtrata, ſanguine humano tingeretur Oceanus. Nonnulli ex hoſtibus fruſtra contra nitebantur, poſtremo vel telis concidebant, vel in mare præcipites ſe agebant, atque aquis abſorbebantur. Qui reliqui erant capti, atque inter eos Præfectus Petrus Brantius, cujus captivitas in cauſa fuit, ut tam cruento bello mirabili modo finis imponeretur. Nam dum opima inter ſe dividebantur ſpolia, forte Brantius civi Hornano admodum honeſto ceſſit. Qui non hoſtilem in modum eum excepit, ſed ita flexit animum, ut beneficiis novo modo hoſtem vincere ſumma ope niteretur. Novis veſtimentis indutum, viatico inſtructum, nullo redemptionis pretio ſolis promiſſis fidens incolumem dimiſit. Is ubi domum reverſus, humanitatem Hollandorum in cœlum extollere, captivos ibi non tanquam hoſtes, ſed tanquam amicos & neceſſarios excipi, contra illorum tyrannidem acriter increpare, tenebricoſis

& cæ-

& cæcis carcerum antris Batavos includi, quêis vel pœdore vel fame, deformati ærumnis miſeram vitam terminarent. Non mirum rebus advorſis uſos. Deum tantorum ſcelerum vindicem eſſe & futurum. Et quandoquidem Batavi ſola probitate tuti eſſent, illine ſceleribus ſecuritatem quærerent? E re publica fore, ut quocunque modo paci novæque amicitię, incumberent. Finem belli non expectandum, quo victores victis leges imponerent. His ſimilibusque verbis, uti inter ſuos magnâ pollebat auctoritate, primo popularium animos ad mitiora paulatim flexit, ita ut exiguo poſt tempore Hafnię de pace agi cœptum fuerit. Inter Danos Boruſſosque & Hollandos perpetua & ſolida pax percuſſa. Cum Vandalicis civitatibus duodecennales inducię conſtitutę, quæ finitæ iterum atque iterum prolongatę, donec nullo amplius molimine tacito ſuffragio ſponte otium & quies mari terræque incubuit.

CAPUT IX.

DE MARITIMO BELLO INTER GALLOS ET HOLLANDOS, ANNO CIↃ CCCC LXXI. & ſeq. *SUB CAROLO BURGUNDO, ET MARIA.*

ANNO admodum CIↃ CCCC LXXI iterum turbatum mare, & cum inquieto elemento inquies publica. Cauſa motuum, quod Comes Warvicenſis, Eduardo IV, Regi Angliæ, cujus ſororem Carolus Burgundus in uxorem duxerat, ſuppetias ferente Ludovico undecimo Galliæ

Rege, hoſtilia intentaret. Atque adeo rerum humanarum domina Fortuna ſæviit, ut ipſe poſtmodum Rex regno pulſus in Hollandiam aufugerit, atque uti inconſtanter ſe res humanę habent, & huc atque illuc feruntur, ſequenti anno valida claſſe Angliam petens poſt atrox prælium priſtinę reſtitutus fuerit dignitati. Interea antequam Rex regno pelleretur, Comes Warvicenſis conniventia Regis Gallię naves Hollandicas paſſim diripiebat, triginta navigia ſacro die Paſchatis interceperat, & totum veluti mare jam animo invaſerat. Sed ille cruento admodum prælio à Præfecto maris Anglico Comite Scallię exceptus, injuriam noſtris illatam penſavit. Reſtituta cuncta navigia ſingulari Angli humanitate. Sed Warvicenſis nihil minus tanquam tempeſtas publica mari & noſtris litoribus imminebat, atque iterum circa feſtum Pentecoſtes viginti noſtratium naves occupavit, non tam in dimicando, quam in prædando momentum victorię ponens. Verum Henrico Borſalio Verię domino, Prefecto maris Batavico, non erat animus ab ignavia & ſocordia corruptus, ſed expedita triginta ſex bellicarum navium claſſe XVII Kalendas Julias litora Normannię petiit. Atq; adeò prędones (neq; enim hoſtium nomen iis competebat) cruentis manibus & immani avaritia nobiles, quîs totum veluti mare quęſtui erat, ad Sequanę oſtium ita excepti, ut decem noſtrates naves jam ante captas ferrum reſtituerit, reliquas ignis conſumpſerit. Ex quo tempore tantus metus animos prædonis corripuit, ut ſibi diffidens maria tentare auſus non fuerit. Ex his initiis anno ſequenti grave bellum inter Gallię Regem Batavosque erupit. Immenſę molis navigia mari Rex commiſerat, inter

quæ

quæ cætera omnia supereminebat, cui Columnæ nomen inditum, revera columna & fulcrum Oceani, quæ piscationibus halecum valde infesta, pluribus piscatoriis cymbis captis, mare & piscationem turbabat. Naucleris lemborum captis singulis redemptionis pretium centum aurei constituti, quos pro navigiis mercibusque quæ dimittebantur, tamdiu vinclis mancipabant, donec constituta pecunia persoluta esset. Piscatores perculsi tanta clade animum despondere, ubique trepidare, periculo ancipiti fugę consulere, qui nondum mare ingressi domi manșitare, cum omnibus in locis infesta vis hostium esset, & ferro mare clausum teneret. Sed non diutina hæc fuit dominatio: rostratæ enim Batavorum naves vi atque armis claustra Oceani perruperunt, classemque Gallicam mari expulêre: secutæque induciæ usque ad exitum anni CIↃ CCCC LXXIV, quantis jam tum viribus mari polleret Batavus, indicarunt. Finito quietis tempore, atrocius bellum recruduit, & clade Batavorum nobile. Galli enim nihil pensi moderatique habebant, maria invadere, direptionibus polluere, vastare omnia, sibi quisque trahere, rapere, ut commercia nostra intercíderent, navigationes frustrarentur. Quapropter Amstelodamenses, qui tum appetente vere navigationem in Hispanias moliebantur, edicto Caroli quatuor præsidiarias naves contra insultus prædonum instruxerunt, onerarias etiam quinquaginta majoribus minoribusque bellicis machinis, milite denique conscripto muniverunt. Ita ex sententia rebus paratis compositisque, cum Enchusanis, Hornanisque, qui suas itidem naves acriter expediverant, classis circiter octuaginta navium vela ventis dedit, quæ con-

junctis

junctis copiis profundum secans hostium molimini non patuit, neque ulli insultui obnoxia fuit. Cæterum ubi sale onusta domum reverteretur, longe alia rerum facies fuit, imo fœda atque miserabilis. Contemptus hostium & sui securitas tantam calamitatem peperit. Incesserat & avaritiæ tabes animos mercatorum, qui forum præoccupare tentabant. Ita dispersis à se invicem nostris navigiis, dum nihil consilio atque imperio ageretur, hostis, qui prope Clasdunum occurrerat, prudenter magno impetu, in mediam classem erupit, ne vires suas Nostri conjungerent. Tum advorsis navibus concurrere, implicare, perturbare undecunque Nostros, qui repentino metu perculsi se expedire nequibant. Et mox rapidos globos tormentis majoribus excutere, igneis in naves nostras jaculari, denique tantus horror nostræ classi immissus est, ut deditione singulæ naves sibi consulerent. Ita sine ullo fere certamine victoria hostibus parta, tota classis octuaginta admodum navium occupata. Plerosque itidem captos nonnulli referunt, nisi quos cymbis fugientes vicinum littus exceperat: alii, omnes fere ex navigiis, quæ versus Clasdunum aufugerant, in tellurē se recepisse, & summa cum ignominia domum reversos, commemorant. Neque tantum opum, sed gloriæ potissimum deminutio tetigit glorioſa Batavorum pectora, quibus industria militaris, victoriarum multitudo, maritimæ militiæ magna peritia, animus denique belli ingens semper abunde fuerant. Hæc clades præ cæteris Amstelodamenses & Hornanos (x x x horum naves captæ) graviter afflixit. Plurimi mercatores ad incitas redacti, & subito ex divitibus pauperes infra omnem sortem Fortunæ deprimebantur.

Non-

Nonnulli tã insolita mutatione commoti vel in amentiam impellebantur, vel igneis furoris conceperunt. Porrò Carolo dein circa Nanceium occupato, mari erant Alcyonia: sed eodem mox ibidem extincto, asperrimum iterum bellum sub Maria, quæ sola tum patri hæres relicta, Oceano incubuit. Namque Gallus, cupidine prædę, atq; superbia agitatus, solus in aquis dominabatur, excluſisque Hollandis Zelandisque passim grassabatur. Interea Batavi, quibus supra fortunam sublimis animus, parabant omnia, quæ ad justam classem expediendam necessaria, prorsusque nihil intactum relinquebant. Triginta quinque munitissimas naves obviam hosti miserant, eæque tantum terroris incussêre Gallo, ut terga dare cogeretur. Anno cIↃ cccc LXXVII mense Augusto decem iterum Nostratium naves, quas oppidum jam tum potens Amstelodamum expediverat, ingentis molis corbitam (caraquam vocant) mercibus exoticis divitem compellant, imperantque, ut velum dimitteret. Illa parvitatem nostrarum navium ludibrio exponere, imperium detrectare, monere ne irritando majorem vim in exitiũ suum converterent. Serum diei erat, neque per noctis tenebras certamen conferere tutum videbatur, quia incerta maris & pericula caligine augentur. Per totam itaque noctem insecuti, ubi dies appeteret, summo impetu navem adorti, solo terrore, explosis aliquotiens tormentis, superarunt, atque in Zelandiam vexêre. Captis dein octodecim Gallorum navibus, hostis incertus variusque formidine exagitabatur. Nostra classis, quæ circa Diepam stationem fixerat, elicere hostem sed frustra nitebatur. Ubi hoc parũ Nostris processit, scaphis terrã nacti, vicinos pagos depopulati luculentam

prædam retulerunt. Ita inclinante autumno domum reversi Gallos prædonesque alios, qui profunda avaritiâ maria turbabant, expulere, incredibili Batavorum gloria, & ex socordia hostium infamia.

CAPUT X.

BELLVM INTER FLANDROS ET HOLLANDOS, Anno cIↃ cccc-lxxxiii. & seq.

VBI Maria vivis excesserat relicto impubere filio Philippo, tutela Maximiliano relicta fuit. Invisus ille Flandris erat, vel quod gens inquieta novum imperium detrectaret, vel quod nimiis exactionibus attereretur. Quippe Princeps inconsultus, etsi non malę indolis, subditorum opes graviter flagellabat, pessimis quoque adulationum magistris animum & aures addixerat, quibus nihil præter avaritiam consulti erat, & quod reliquum erat, summa adipiscendi libidine ad se trahebant. Hinc discordia animos Flandrorum diviserat, qui semel rupto amicitiæ fœdere in injurias proni auctoritatem Principis impetebant. Consortes imperii in Flandria quatuor constituere, gravi admodum diffidentiæ an contemptus exemplo. Dein comitiis Gandavi indictis tutela tantum illi pro tempore decreta, juramentoque fulta fuit. Abdicata postmodum illi potestas, quod vocatus ad Comitia Flandriæ, præsentiam dedignatus videretur, & ad Ultrajectinam obsidionem animum accinxisset suum. Hoc superbiæ vorterant Patres, cum invisо semel imperio cuncta in pejorem partem trahe-

traherentur. Philippum itaque filium vix dum quinquennem Comitem renunciant, quatuor tutores, dum ejus ætas infirma, imperio præponunt. Hinc grave inter Flandros Hollandosque & Brabantos bellum exarsit: vastatę regiones, turbatum mare, navigationes impeditę, crebrę admodum velitationes, nullibi quies. Media quidem æstate anni CIↃ CCCC LXXXIV compositę turbæ, post aliquot annos captivitate Maximiliani, qui Brugas, contenderat, recruduerunt. Urbes inter se discordiis divisę, vastę regiones igne & rapina, inprimis Flandria & Brabantia, neque minus Hannonia. Nec immunis ab hoc igne in ipsis aquis Hollandia fuit. Slusani enim, quibus se junxerant exules ex Hoexiorum partibus, rerum novarum avidi, Duce Francisco Brederodio, expedita classe Mosæ flumen ingressi, Roterodamum oppidum Mosæ flumini incumbens interceperant. Hinc arce quoque Woerdana occupata, agri ignibus & rapinis fœdi, vel tributis obnoxii, municipia & prætoria in cinerem acta, mare quoque infestum prædonibus, commercia impedita, ubique metus & periculum incessebat. Quîs recuperandis dum summam operam impendunt Amstelodamenses, Maximilianus illorum insignia corona imperiali ornavit. Præcipue non vanus timor Westfrisios agitabat, ne Texelia capta suis imminerent finibus, & tributa pendere cogerent. Imperatum, ut cives, rustici in armis essent, signis ignium & campanarum sonitu uterentur, sin hostis in propinquo, vel litori se exponeret; ut mature prospicerent Patres, ne quid detrimenti Resp. caperet. In litore quoque vigiliæ, & sinus Australis bellicis navibus stratus gravis belli imaginem præ se ferebat. Populus bello,

commerciis impeditis, exactionibus miſere atterebatur. Nullum afflictis niſi in pace remedium, quorum Fortunas bellum non tantum concuſſerat, ſed pene everterat. Anno demum CIↃ CCCC LXXXIX ingruente autumno, intercedente Rege Galliæ, icta utrinque pacis fœdera. Quæ tanto gaudio excepta, ut etiam ipſi agri hactenus inculti, mare claſſibus turbatum lætari viderentur. Dum enim præter ſpem nihil reliqui erat, inſperatus hujus belli exitus omnium animos mirum in modum affecit. Sed poſt tam ſævam tempeſtatem non diuturna mari quies & otium. Vbi fœdis procellis intumuit mare, non ſtatim quieſcit, ſed fluctibus ſuis adhuc attollitur: ita poſt tempeſtatem belli maritimi, infeſta tamen pelago incubuit prædonum rabies. Quippe anno CIↃ CCCC XCI Sluſani, pacem detrectantes, prædę aſſueti, juſtis bellicis navigiis fauces prȩcipue ſe ſtringentis Oceani premebant, ita ut nullis navigiis nequidem frumentariis aditus pateret. Eo denique abiêre ſceleratę inſolentię, ut duce Joanne Naeldviceno maritimum pagum Wycum nomine deprædati ignibus feralibus ſubjecerint, indignante veluti vicinum incendium Oceano. Marsdipam inde ingreſſi, nihil contra molientibus Batavis, per totam æſtatem hinc mari Oceano, inde ſinui Auſtrali deprædationibus imminebant. Ita ignavia & ſocordia noſtra mare à prædonibus clauſum nervos potentię noſtrę ſuccidebat. Ipſa quoque Texelia & Wiringa vicinę inſulę victum & annonam ſuppeditabant, incolæque malarum artium inſolentes facile hoſtibus credulas aures dederant, qui obtentui habebant, ſe non tanquam hoſtes, ſed amicos veniſſe, ut ſervili tributorum onere eos liberarent.

rarent. Vetus ac pridem insita gentibus nostris est libertatis cupido. Et sequuntur facilius, qui servile putant cogi: duci volunt, non trahi. Ubi legitimus imperandi modus adest, faciles in omnia obsequio, ubi extrema imperantur, nihil non audent. Ad incitas redacti bello & nimiis exactionibus, sumptibus pares non erant. Texelia & Wiringa jam diu contumax nova omnia optabant. Itaque facile credidere hostibus, ita comparata mortalium natura, ut lubentes admittant, quæ tacite mente vovent. Ita prædones etiam opitulantibus Nostris ostia maris suis occlusêre navigiis, occupatis pluribus mercatoriis navibus, cymbisque, quæ ad halecum capturam se expediverant, cæteris metu inhibitis profundo se committere. Hinc caritas annonę, & ultimum rerum humanarum supplicium fames graviter Hollandiam concussit, ita ut non naturalia & fœda alimenta in usum necessitas verteret. Et cũ de tributis nihil remitteretur, primo obsequii impatientia, dein seditio in ancipiti Remp. posuit, cum pleriq; nihil spei nisi in simultatibus haberent. Idem circa Zelandiã prędonum furor, quos tamen oppressos, circa Slusam XL bellica navigia, minora XLIII à Ioanne Egmondano capta, Historici commemorant.

CAPUT XI.

DE GELDRO-FRISICO BELLO.

PRÆLIISQVE MARITIMIS, ANNO CIↃ IↃ IV & seq.

BELLUM hinc Geldricum Frisicumque contra Batavos, non tantum terra, verum & mari exarsit. Inter Carolum

lum Geldrum & Philippum Burgundum contentiones eò eruperant, uti ſanguinem uterque, quàm omnia mallet. Cauſa belli inſita mortalibus habendi & dominandi cupido, Geldro avitum imperium vindicante, Burgundo ſua jure emptionis retinente. Primis decem undecimve annis placidè tantum arma tentata, ſed anno clɔ Iɔ IV furor belli efferbuit, ita ut poſtquam ſemel itum eſſet in arma, ad internecina odia ventum ſit. Ubique rapinę agrorum, fragores tormentorum, mare ſanguine imbutum, vaſtationes & cadavera urbium cum horrore conſpiciebantur. Maritimas velitationes & prælia recenſere noſtri propoſiti eſt. Igitur Geldri undique regionem noſtram tentabant, atque homines terrę aſſueti, etiam in ipſis aquis proprio veluti noſtro elemento, adoriri auſi ſunt. Imperatum à Principe civitatibus maritimis, ut bellicis navibus ſinum Auſtralem inſiderent, quo hoſtis prædę appetens, avaritia ardens paſſim vagabatur. Præfectus itaque Petrus Leovardus ſumma ope nitebatur, ut mare prædonibus vacuum redderet, commeatum armorumque vecturam impediret. Sed Geldrorum animus magis magisque indies ferox omnia magna volvebat. Quorum claſſis cum ſeptingentis armatis militibus Hardervico ſolvens, auſa in Hollandiam tranſmittere, oppidum Monachodamum per inſidias occupare tentavit. Sed Waterlandis rerum gnaris animus ſederat, virtutem ſuam experiri, hoſti aquis obviam ire, patriam & libertatem armis tegere & defendere. Acriter tum dimicatum, advorſa in pectore vulnera, acervi trucidatorum corporum, denique ipſa cadavera adhuc vindictam ſpirare videbantur. Sed noſtris Fortunam acriter prenſantibus victoria

ctoria ceſſit, pluribus cæſis, nonnullis captivis. Anno ejus ſæculi ſexto Princeps noſter proſperam contra Geldros ſuſceperat expeditionem; Arenaco enim occupato cunctæ admodũ Urbes ab uno latere Rheni victori patebant: ſed in medio ſucceſſu ulterius progredi ſocrus intempeſtiva mors non permiſit, namq; in Hiſpaniam profecturus pacem cum Geldro iniit, ſed non diuturnam. Fortuna enim ſævire, miſcere, ac turbare omnia cœpit, ſicut res humanæ ſe habent, ut proſpera adverſa ſequantur, & nihil ſtabile firmumque inveniatur. Poſtquam enim Philippus regnum Caſtiliæ adeptus eſſet, paucis poſt diebus non incerta veneni ſuſpicione, Burgi in Granatenſi ditione vitam cum morte commutavit. Hinc omnia in pejus labi, & dum tenera Caroli, qui poſtea quintus appellatus, ætas contemptui eſſet, fluctuaretque ſine Principe Reſp. Geldri occaſionem nacti, qui ex commodo ſuo pacem bellumque æſtimabant, arma ſumſere, & recuperatis cunctis admodum oppidis, quę ſuperiori æſtate amiſerant, inſuper Weſopo & Muda captis, maria & terras infamibus rapinis vexabant, nullibi victoriæ temperabant. Sicut autem rebus ſecundis inſoleſcere animus mortalium ſolet, atq; magna Fortuna licentiam ſibi & audaciam uſurpat, anno ſequenti ingenti molimine Amſtelodamum ſuperare tentarunt, ut ita ubique opes patriæ lacerarent. In Tya flumine propugnaculum, quod rubrum vocabatur, palis compoſitum erat. Jamque eo occupato urbi imminebant. Verum Amſtelodamenſium ea virtus fuit, ut extremi periculi unicum remedium crederent omnia pericula ſuperare, & ardenti animo in fœdam fugam hoſtem pellerent, propugnaculoque dejicerent. De-

preſſit

preſſit eos hæc calamitas, atque per aliquod tempus quietem peperit. Verum anno ejus ſæculi duodecimo animus inquietus & ſui impotens ſedari nequibat, ſed ad maturandam novam expeditionem contra Amſtelodamenſes eos incendit. Sed & hic Fortuna civium prævaluit, quanquam hoſtes, qui ultra mille ac centeni cò confluxerant, ingens illis damnum inflixerint, cunctis navigiis, quæ extra palorum ſepta anchoris conſiſtebant, incendio conſumptis. Paſſim cum navigiis ferali igne commercia crepabant, atque ipſis veluti aquis flamma incubuit. Quod infortunium non ſolum Batavos, ſed & Anglos, Gallosque & Vandalos, quorum ibi naves frequentes in anchoris fixæ erant, concuſſit. Non minor tempeſtas in ſinu auſtrali ſurrexit, qui rapinis fatigabatur, & pro lubidine victorum vicini agri fœdabantur, municipia in cinerem redigebantur. Gratum tale Geldris bellum erat, quod facile tolerabatur, dum domi rebus acciſis, in externa regione ex prædâ divitias & opes cumularent. Biennio poſt pactæ induciæ, ſed inſtabiles, in gravius bellum anno decimo ſexto ejuſdem ſæculi eruperunt. Cum enim Princeps Carolus, cujus vernans ætas vix decimum & ſextum annum attigerat in Hollandiam cum imperio acceſſiſſet, otii impatientes Geldri cum Alberto Saxone in Friſiâ bellum cepêre. Magnis promiſſis imperium pollicentes nonnulli ex Friſiis, qui Saxonis pertæſi novas res quærebant, Geldrum incitaverant. Ita Friſia diſcordiis civilibus feſſa ſuis armis peregrinum dominum accerſivit. Iamque adeo Geldrus plerisque urbibus occupatis ad incitas Saxonem adegerat, qui, cum extrema omnia experiri animus non eſſet, omne ſuum jus certis conditionibus

nibus Carolo Principi ceſſit. Hinc ortum Geldro-Friſicum bellum, quod ſola calamitate nobile. Primum & quidem proſperum cum Friſiis prælium, qui ſuis navigiis, quæ tamquam propugnacula eminebant, mare clauſerant, adeò ut nec Flevi fluenta nec Teſſalia ſummo noſtrorũ detrimento paterent. Florentius Iſelſteinius, primus Burę Comes, bellicis navibus auctus, & armato milite circiter trium millium ſtipatus, magna virtute hoſtilem claſſem prope Worcum Friſiæ oppidum adoritur, vincit, plurimos occidit, cæteros captivos Enchuſam mittit, qui diutino carceris pædore & illuvie preſſi, dein ut prædones Prætori traditi paſſim infelici ligno ſuſpenſi ſunt. Sequens annus, qui erat decimus ſeptimus ejus ſæculi, Hollandiæ clade memorabilis eſt. Cum enim Carolus Geldriæ Dux copias ingentes militum conſcripſiſſet (ad ſeptem vel octo millia fuiſſe varie traditum) & prope Cunderam ferociſſimus prædonum dux Petrus Longus ſuũ junxiſſet militem, (cccc Chronicon Friſiæ nondum luci datum fuiſſe teſtatur) VIII calendas Quintileis claſſis CL navigiorum vento ſecundo prima luce cum toto excercitu aquis ſe dedit, & in litora Borealis Hollandiæ multo adhuc die vecta terrorem ingentem vicinis urbibus injecit: ubique cives trepidare, afflictare ſe, ſibi ſuisque viribus diffidere, nihil penſi neque conſulti habere, magnitudine claſſis ſua pericula metiri. Atque adeò ea Enchuſam prætervecta ſubito impetu in Medenblicum oppidum converſa, nequicquam urbana cohorte repugnante, totum incendio delevit, ut ne domus quidem reliqua eſſet. Ferro plerique cives perempti, cujus neque ſexus neque ætas imbellis immunis fuit. Sola arx adverſus hoſtium furorem

igniumque violentiam invicta ſtetit, ſub præfecto Iuſto Burio, qui eam magno animo tuebatur. Ita Petrus Longus divite præda onuſtus cum prædonibus in Friſiam revortitur. Reliqui ex Geldris cuncta ignibus & rapinis vaſtant. Alcmaria in prædam verſa, & poſt ſeptem dierum populationem igni tradita. Idem fatum Beverovicum & Sparodamum habuere, Aſpera tota ſanguine imbuta. Sed Henrici Naſſovii virtus, qui copias nomine Regis Caroli ductabat, ita eos in arctum egit, ut diſperſi paſſim trucidarentur, vel atrocibus & infamibus ſuppliciis more latronum punirẽtur. In agros quoque Geldriæ arcesque nobilium igne & rapinis ſævitum. Denique Carolus Geldriæ dux Arenaco concluſus extrema Fortunæ expectabat, niſi rex Galliarum interceſſiſſet. Interea Petrus Longus homo multis facinoribus coöpertus, ipſe inquietus & turbidus maria turbabat, & in exitium noſtrum captis mercatoriis navibus commercia impediebat. Erat huic homini inveteratum in Hollandos odium atque iracundiæ æſtus, profunda atque inſatiabilis avaritia, quę in immenſum rerum copia augebatur, ferox & vaſtus animus, inconſulta audacia, quæ illi pro virtute erat, excuſſoque ſemel metu omnia dira minitabatur. Nimia quoque fœlicitas illum tranſverſum tulerat, more mortalium, qui ea qua ſorte contigere, ſuę attribuunt peritię. Acceſſit & noſtris ingens terror, nam terra marique graviter opes cunctorum quaſſabantur, & damnum unum alterum ſequebatur. Ubi terra quies, mari erat belli tempeſtas. Neque tantum profundum, ſed modo hac modo illac litora pulſabantur. Itaque pro periculi varietate timor inſolitus inceſſerat, concurſare paſſim, feſtinare, etiam fictis rumoribus

bus credere, quasi ubique hostis adesset. Interea Florentius Iselsteinius nuspiam diligentiæ & vigilantiæ parcere, animos illorum, prȩcipue Hornanorum, qui maxime periculis expositi, erigere, suppetias promittere, piratas belli insolitos, vinci faciles, asserere. Paucis post diebus XVIII Julii indicta Delphis comitia, Patrięque Proceres prospicientes, nequid Resp. detrimenti caperet, decrevere, impositio tributo cuncta bellica præsidia contra Petrum Longum cogere, in tempore, quod omnium rerum primum, classem dispersam aucto stipendio convocandam, facile dispersos ab hoste circumveniri, conjunctas copias etiam advorsæ parti formidabiles fore, cum non animus sed fortuna Batavis deesset; cavendum inprimis, ne nostris bellicis navigiis direptis, eisdem in nostrum exitium hostes uterentur, denique ad tutanda commercia conductorias naves expediendas. Ita inclinante mense Julio, Antonius Houtenus Fleterę Dominus, qui propter adversam valetudinem Domini Sevenbergæ in sinu Australi classi jam conjunctæ imperabat, cum accessissent & alia navigia urbium nomine missa, hostem lacessere ausus, atque omnia bona in proxima spe habebat. Edicto primum regio unicuique privato libertas deprædandi concessa. Cædes, incendia, aliaque belli facinora in hostem patrare jus & fas censebatur. Ita alii prędę cupiditate, alii vindictæ studio, sicuti in populo varia sunt ingenia, hostem terrâ marique vexabant. Plerosque lucri cupido acrius præcipites egit. Unusquisque rapere, trahere, per vim extorquere, vel per insidias hostem circumvenire, bona inter se dividere, nisi quod de bonis direptis Præfecto cum Concilio cognoscendi facultas reliqua esset.

Verum archithalaſſus expedita claſſe animo intrepido mare tentare, hoſtibus vim inferre, Fortunam ſibi facere, cuncta horrore implere. Incenſę plurima naves, quæ prope Bunſcotam in ſtatione ſederant, alię fugatę in Friſiorum portus ſe receperunt. Ita illi, quorum prompta fuerat nemine reſiſtente audacia, atque opes civium noſtrorum flagellaverant, per ſummum dedecus atq; ſocordiam imperium maris vix conſpecto hoſte amiſerunt. Noſtri autem quibus bona erepta, maris libertas imminuta fuerat, continuis incubuerunt victoriis, portus hoſtiles cinxêre, atque extrema iiſdem intentarunt. Cum autem diuturna hæc eſſet expeditio, & militiæ robur argentum deeſſet, primo nautica plebes, quibus ætas animusque ferox erat, Prędectos exagitare, pecuniam poſcere, turbas movere. Jamque præſens metuebatur ſeditio, niſi Franciſcus Cobelius Hollandiæ ſenator, autoritate & prudentia pollens, ideoque Prędecto maris adjunctus, literas ad Hornanos miſiſſet, rogatum uti unica vice nummos mitterent, quos tribus intervallis pollicitati fuerant. Incipientem & nondum adultam ſeditionem non verbis non melioribus conſiliis mitigari poſſe, niſi pecunia: militem, quanto ad ſuſtentandos labores acrior eſſet, tanto deficiente præmio ad ſeditiones promptiorem fore: turpe eſſe victoriam ſibi ipſi adimere, & cum hoſtem ſuperaveris, in te ipſum militem concitare. Pecunia miſſa, an ab Hornanis, pro comperto dicere nequeo. Ita ſopita diſcordia Noſtri opportunitates maximas non deſidia vel nihil agendo corrupêre, ſed hoſtem mari pepulêre, ita ut nullibi ſecurus tutuſque eſſet. Cum ita in arctum res illorum redactæ eſſent, ut conſilii nulla amplius ſupereſſet copia, ſemeſtres inducias

inducias procuravit Rex Galliarum, cui paci promovendæ arbitrii honos conceſſus. Conventum ea conditione, ut Geldrus Friſiæ jure cederet, Carolus Rex centum coronatorum millia penderet, ſtatimque arma dimitterentur. Verum ubi ſoluta Arenaci obſidio, de qua ante diximus, confirmato iterum animo, conditiones à Geldro ſpretæ. Sequenti tamen anno, qui erat decimus & octavus, inducię prolatatę. Neque minus piraticam iterum crudelem, immoderatam, & nimis quam calamitoſam Petrus Longus exercere, quibuscunque modis poſſet vires noſtras atterere, captivorum corpora in mare projicere, nullibi miſericordię vel gratię conſulere, luctu & cruore omnia complere. Noſtri, quamvis apud Præfectum Hollandiæ prolixæ repeterentur querelæ, juſſi nihil hoſtile intentare, ſed ſua tantum tueri. Ita in immenſum hoſtibus crevit audacia & ferocia, dum plures pauciores facile ſuperarent, Noſtri autem, ſi plures, aggredi hoſtem prohiberentur. Inviſum plebi erat bellum pacis nomine involutum: fortunas, opes, gloriam, quæ prima mortales cenſent, hoſti tradere ſummum probrum jure cenſebatur. Interea languore noſtro ejus ferocia augebatur. Ut cætera relatu minora ſubticeam, XIV Auguſti imperterritus prædo aliquot Hollandorum navigia vi adortus, juxta Hornam ſortem quidem primo adverſam tulit: quippe primaria navi occupata, Prefecto ſociiſque aqua interemptis, cedere coactus. verum idem cedendo animo non ceſſit, atq; iterum experiri fortunam in animum induxit ſuum. Cum itaque pubem nauticam denuo accendiſſet, monuiſſetq;, uti forti paratoq; animo eſſent, ingenti virtute Noſtros in fugam egit, undecim navigia cepit, quingentos circiter vel ferro cæcidit, vel

aquis submersit. Miserabilis ea facies fuit & cum hoste & cum aquis colluctari, mortemque fugiendo in certam incidere. Secundæ hostium res continuò secundis tegebantur. Nam non multo post S. Lamberti die totam orientalem classem, quę ex mari Balthico in Hollandiam vela dirigebat, intercepit, Hollandis, quorum tria erant navigia, Oceanum pro sepulchro dedit. Idem vigesimo octavo Septembris viginti quinque navigiis cum quingentis, vel, ut aliqui referunt, mille & ducentis militibus nobilem expeditionem suscepit. Invisa maxime Horna erat, oppidum validum & jam tum mari pollens. Neque diu hic dubitatum, cum continuis successibus spes aleretur, victoriamque certam promitteret. Præfectus, militiæ maritimæ impiger, consiliis tectis Hardervicum contendere se simulabat, ubi tum Carolus Geldriæ Dux agebat, nota Præfectorum arte in vulgus falsa spargere, abdita consiliorum clausa in pectore tenere. Nocte itaque intempesta primo militem, vigilum negligentia, in aggerem impellit, dein per vicum, qui postmodum Geldricus nuncupatus, urbem invadere molitur. Sed quia frequentes cives ibi vigiliam agebant, facile detectus, tota subito civitas in armis stetit. Acriter diu dimicatum, urgente prædę avido Frisio, sua defendente Hollando. Nunquam fide minus dubia probatum, maximum ad Fortitudinem momentum, sua cuique esse, & vitæ prodigos eos, qui si vincantur, morti jam destinati sint. Extrema enim civibus, cœdem, rapinam, incendia crudelitas Petri promittebat. Unde vacillat quoque annalium fides captam fuisse urbem, quia nihil reliqui iis prædo feciſſet: expulsum ex monumentis Hornæ publicis constat. Neque enim cætera curiosi ejus

ſi ejus anni Conſules, tantum facinus ſilentio præteriiſſent. Ita Petrus Longus ipſis admodum induciis quaqua vorſum rapinis Hollandos vexabat, & lucri contactu ac ſucceſſu ulterius deprędandi avara ſpes gliſcebat. Et jam non arcana murmura civium audiebantur, quorum opes nullo reſiſtente lacerabantur, & vindictę cupida plebes indignatione æſtuabat. Finitis tamen induciis iterum novę pactę ad biennium, ſubleſta rurſus Geldrorum fide. Anno hujus ſæculi vigeſimo ſecundo Geldro-Friſii viginti navigiis, Gallico bello implicito noſtro milite, oppreſis Teſſaliâ Wiringaque inſulis, ingens tributum extorſere. Teſſalię decem Philippeorum millia, Wiringæ tria millia & quingentos, ſexaginta ędibus igne conſumptis, indixêre. Et quia tanto æri ſolvendo impares, obſides dati qui opibus maxime præſtarent. Proſligatis quoque à Carolo Geldro ante Gelmudam caſtris, calamitas calamitatem premebat. Sed bellum in Friſios à Noſtris vorſum totam fere regionem ſub jugum miſit. Annus ſequens latrociniis Geldrorum infamis, qui pluribus Hollandię vicis igne fędatis, Haga ſpoliata, inſtar fulminis cuncta ſubito proſtraverant. Sed nihil memoratu dignum mari invenio, niſi quod jam tot per annos concitatis in mutuam perniciem animis, extingui belli furor nequiverit. Tandem anno vigeſimo octavo, cum præfectus Friſię Georgius Scencius Tautenburgicus & Florentius Egmondanus militię ſummus magiſter, conjunctis copiis, multo labore atque acri impigraque militia pluribus urbibus captis hoſtem ad extrema redegiſſet, inclinante autumno Goriche-mi læta pax utrinque ſumma latitiâ conſtituta.

CAP.

CAPUT XII.

PRÆLIA GALLICA, PRÆCIPVE

Anno cIↃ IↃ LIV.

SUB Carolo V bello Gallico maritima virtus Noſtratum iterum enituit. Quippe Batavi quique acrius ſalo ſoloque animantur Zelandi, quibus nullus labos inſolitus, nullum periculum formidoloſum erat, anno cIↃ IↃ XLIII menſe Majo, cum prædonibus Gallicis mare turbaretur, decem armatis onerariis navibus plenis velis in portum Burdegalenſem delati, commotis facinoris & periculi novitate oppidanis, ſeptendecim naveis mercibus ſtipatas occuparunt, reliquiſque incenſis, ex vicina tellure ingentem prędam diripuerunt. Cæterum Galli anno cIↃ IↃ LI tempore pacis, levitate genti inſita, ex improviſo claſſem noſtram, quæ in Hiſpaniam tendebat, interceperant, merces in prædam vorterant. Inexpectatum hoc damnum graviter omnium animos concuſſerat, atque exaſperaverat. Quippe immenſæ divitiæ ultra duos milliones æſtimabantur, ſive quod ita ſe revera habuerit, ſive quod damna ſua in majus augere mortalium conditio eſt. Reſtitutione negatâ, cruentum bellum ſanguine maria & terras imbuit. Itaque appetente vere, anno ſequenti, quia mare Gallicis prædonibus infeſtum erat, interdicta publice orientem & occidentem verſus navigatio. Proſpiciebant enim Patres ſpe lucri maxima pericula ſuſtentare mercatores, imo aleæ Fortunæ bona ſua ſubjicere; in privatorum autem opibus publicas opes conſiſtere. Acceſſit poſtmodum edictum, ne ulla

ne ulla navigia mari ſe committerent, niſi quæ milite armato, tormentis, annona militari probe inſtructa eſſent, & juncta claſſe hoſti reſiſtere poſſent. Singulæ enim naves, quæ extra numeros diffundebantur, facilius quoque hoſtium injuriis patebant. Interea ſequentibus annis ferocia belli aucta, obſidiones frequentes, devictis vaſtationes & cadavera urbium horrorem incuſſere. Et terra & mari crebra prælia, victoria per vices acta. Cæterum longe acerrimum nobiliſſimumq; prælium anno clɔ Iɔ Liv, menſe Auguſto mare veluti laſſavit. Hollandi viginti duabus mercatoriis navibus iter ad ſuos moliebantur. Quo comperto Gallus maximas confeſtim copias armat, pubem nauticam cogit, denique inſtructam claſſem novendecim navigiis bellicis, cum ſex celocibus in mare ducit, prædę potiundę avidus. Prope Douveram acerrime concurſum eſt. Gallis erat animus ingens, potentia validus, Noſtros neceſſitas ad fortitudinem impulit. Illos prædę cupido incendebat, hos metus ingentis damni. Hoſtis fretus multitudine militum, parabat injectis manicis cominus armis contendere, Noſtri quia pauciores metuere, ne numero obruerentur, in tormentis bellicis, hinc atque illinc latera navium quaſſando, omnem ſpem habere, & cum artis tormentariæ peritia præ Gallis pollerent, declinare, ne ullo modo rates fixę ſibi invicem jungerentur. Poſtquam multum diuque ultro citroque tormentis ſe laceraſſent, vecti in anguſtias freti, cum mari tranquillitas ſuda incumberet, Galli ſummo impetu harpagonibus manicisque ferreis injectis, quindecim navibus cum noſtris totidem numero congrediuntur. Tum cruentum & horribile conſertum prælium, quale illud ſæculum

culum non viderat. Dum enim cominus res agebatur, pro se quisque virtutem edere, ferro ferire, cadavera super cadavera volvi, fori sanguinem in mare eructare, clamor virûm, vulneratorum lusspiria exaudiri, denique vitam ac mortem juxta æstimare. Agilior Gallis erat classis, Nostris altior compactiorque. Illi multitudine, Nostri virtute & constantia agebant. Pubes quoque nostra nautica melius officia militaria expediebat, & ex navigiis, quæ cominus non dimicabant, certis tormentorum ictibus navigia hostium lacerabant. Ita pari fere sorte à nonâ matutina usque ad tertiam atrociter dimicatum est. Galli pugnando fessi, animo fracti, spe potiundę classis frustrati quietem ab armis pro tempore postulabant: præ fragore tormentorum, & in tanto certaminis fervore non exauditi, ad extrema consilia animum appulerunt. Ignibus enim velis injectis, (Pontus tamen Heuterus Belgas de rei summa desperantes ignem pulveri tormentario injeciſſe refert) ita sperabant terrore vicini incendii confestim Nostros sua navigia subducturos. Ceterum præceps hoc consilium gravem calamitatem & hostibus & Nostris inflixit. Cum enim utrinque nimis tenaciter naves connexę essent, subitus ignis magno fragore furens pleraque navigia incendit. Ita coacti utrinque desistere à pugna, hostes & amici confertim ignem extinguendo luctabantur. Novus hic hostis difficiliorque domitu, cui spatium modumque statuere non est in manu. Quamquam autem unusquisque pro se maxima ope niteretur, fatigaretque industriam extinguendo incendio, frustra hoc in multis navigiis tentabatur. Itaque plurimi furorem ignis declinantes in mare se præcipites agebant,

& pro-

& propinquis navibus adnatabant, & ſive hoſtes ſive amici eſſent, paſſim nullo recipiebantur intuitu. Tum Fortuna militaris rerum humanarum mirum ſpectaculum præbuit. Noſtri qui pugnando attriti non fuerant, commiſeratione victi fuerunt. Hoſtes recepti, qui frequentiores numero erant, ſubito tumultu quaſdam ex noſtris navibus obruerunt. Ita nihil inter hoſtes tutum, ſecuritasque nullis vinculis conſtringitur. Igitur poſt ſex horarum prælium ignis ſex Gallicas naves combuſſit, una tormentis noſtris ita dedolata, ut fundum peteret: ſex quoque noſtra navigia flammis correpta, quinque à Gallis non virtute, ſed ſorte & dolo ſuperata. Numerus occiſorum, vel qui aquis ſubmerſi, major à Gallica parte, quam noſtra. Mille enim ex Gallis, trecenti ex Noſtris violento fato occubuiſſe feruntur.

CAPUT XIII.

DE EXPEDITIONE GEVSIORVM, VT VOCANT, AQVATILIVM, EIVSQVE SVCCESSV. Anno cIↃ IↃ lxix. & ſeqq.

Cum crudelitas, avaritia Albani nobiles Belgii Provincias conculcaret, proſcriptorum capita vel maria volverent, vel diffitæ reciperent regiones; aquatilium Geuſiorum nomen primũ mari terrorem incuſſit, præſagio certo futurę maritimę potentię. Inter eos erant plures homines nobiles, extorres, quîs relicto patrimonio bonum, & æquum divitiis carius fuerat, obſtinatoque in Albanum odio

maria turbabant. Primus Anno LXIX piraticæ classis præfectus fuit Adrianus Bergesius, Ohaini dominus, accessêre Lancelottus Brederodius, Albertus Egmondanus, Embisius, Entesius, Ruiychaverius, aliique navium Duces, qui totam oram Hollandiæ Frisiæque, usque ad Amasin fluvium pluribus direptis navigiis infestabant. Etiam ipsa maris sæva tempestas, quę per triduum classem fatigaverat, juvante Fortuna illorum conatus promovit. Cum enim se in Flevi stationem recepissent, biduo post septentrionalis classis sexaginta constanș navigiis, vela eodem intendit, ex improviso in ipso fere portu direpta prædę cessit. Postquam spatium quatuor vel quinque dierum processit, iterum Oceano veluti suppetias & opes offerente, classis quadraginta navium opportuna rapinæ fuit. Quêis & nostris animus, hostibus terror augebatur. Nam non tantum mari, sed & vicinâ tellure populationes metuebantur, quibus arcendis nonnulli Hispani missi fuere milites. Successit post Bergesium præfecturæ classis Geleinius Fiennesius Lombresii dominus, & post eum Gulielmus Comes Marcanus, qui augendæ invidiæ in odiosæ exactionis memoriam decem nummos vexillis suis inscribi jusserat. Cæterum Bossuvius, qui nomine Regis Gubernator Hollandiæ erat, ubi intelligit omnes Fortunas suas in evertenda piratica classe sitas esse, hostem infestum civium opibus sustentari, & trahendo bellum ferociorem fore, prorsus omnibus intentus militem conscribere, hortando ad virtutem erigere, expeditam denique classem duodecim bellicarum navium, anno LXX mense Februario in mare ducere, cui præerat Franciscus Boshusius militiæ maritimę impiger. Qui ubi mare ingressus com-

perisset

periſſet Geuſios in Amaſin Fluvium ſe recepiſſe, propere inſecutus magna confidentia & libidine claſſis exſcindendæ agitabatur. Igitur ex improviſo adortus duo navigia ſuperavit, reliqua in fugam egit. Inſignis hic fuit Simonis Rollii Conſulis Hornani, qui uni ex bellicis præerat, virtus & induſtria, quem ideo charum acceptumque, Propræfecturę dignitate Albanus ornaverat. Ubi victoriam hanc primo Fama divulgavit, contuſis viribus Geuſiorum, ut putabat, Albanus ingenti lætitia diffundebatur. Bella enim primo impetu valent, & læta initia victoribus animum addunt, victis modum ponunt. Sed inerat Albano contemptor hoſtium animus, & confectum bellum cenſebat, antequam fere inchoatum eſſet: neſcius deſperatis audaciam pro munimento eſſe, &, uti cuncta mortalium incerta, ita maxime in lubrico conſiſtere incertam belli aleam, exiguisque viribus ſæpe magnos ſucceſſus vel fatum vel audaciam tribuere. Quippe ex ipſa clade Noſtri animos traxêre, & ſupra Fortunam poſiti preſſis manibus virtutem & vires exeruêre. Namque non minori claſſe non multo poſt committere ſe mari auſi plerunque oſtia portuum claudebant, nonnunquam in interiora Flevi progreſſi, vel oram Friſię infeſtabant. Quibus augeſcebat animus, quod mare ubique illis ſecundum eſſet, pluribusque direptis navigiis uno tempore viginti quatuor piſcatorias cymbas, bina vero Hiſpanica navigia pretioſis mercibus onuſta in prædam vortiſſent. Ita ingens Geuſici nominis terror, navigatione præpeditâ, mare ubique obnoxium fecerat. Neque multo poſt Lancellottus Brederodius cum aliis Præfectis ultra viginti navigia vel diripuit, vel

ingenti vi pecunię redimi permiſit. Dum ita Regię opes mari paſſim flagellantur, Albani induſtriâ majori niſu claſſis expeditur, in quam rem in maritimis civitatibus operarii ſuas operas ingenti fervore properabant. Sed Fruſtra Albanus nitebatur, cum difficile eſſet mari aſſuetos hoſpitio ſuo pellere, quin & inviſa Ducis dominatione plura navigia ad Noſtros transfugerant. Sequentibus annis, cum ſpe prædę plurimi allicerentur, multum quoque potentia Geuſiorum increvit. Anno LXXI ineunte Martio tria majora bellica navigia cum viginti tribus celocibus integram claſſem triginta & unius navium ſuperarunt. Idem horror terra Monachodamo direpto, cæteris pagis clanculum tributum pendentibus. Ceterum ſequens annus, quam in incerto fluctuent Principum conſilia, oſtendit. Dum enim unius Albani arbitrio bello togaque Reſp. agitaretur, crudelitas cum avaritia certaret, terrore & metu, quę infirma ſunt auctoritatis vincula, ſubditi ſtringerentur, ab Eliſabethâ reginâ idem impetravit, uti Geuſii portibus Angliæ, quo hactenus perfugium habuerant, arcerentur. Ita ſuis conſiliis, incredibile memoratu, ſeipſum præcipitavit. Quippe libertatis primæ vindices, ſub Præfecto Lumæo Comite Marcano, inſulâ prohibiti, quibus acceſſerant Embda profugi, qui iiſdem artibus Hiſpanicis per mare vagabantur, vel in Teſſalia liburnicas Albani profligare, vel Enchuſam invadere animo volvebant. Utique deſperatio & ultimum neceſſitatis telum ad extrema adigebat. Nihil non audent illi, quibus perſuaſum eſt aut vincere, aut mori. Igitur adverſo vento in Moſam flumen acti, cum ante duas Hiſpanicas naves ſuperaſſent, exitu nullo patente, inter-

ſpem

ſpem metumque dubii hærebant. (Alii diripiendæ hoſtili claſſi, quæ ad Moſæ oſtia ſtationem obtinebat, flumen ingreſſos, quæ cum ſe recepiſſet expeditionem irritam fuiſſe, atque ita adverſo vento conſtrictos fuiſſe referunt.) Auctor primus Treſlongus Brilam invadendi, quod oppidum vaſto oſtio Moſæ, qua in Oceanum ſe præcipitat, incumbit. Accenſis omnibus tam calido conſilio conjuratis placuit deditionem urbis nomine Principis Auriaci, regii per Provinciam præſidis, expoſtulare. Dum cunctatur magiſtratus, Lumæo probe gnaro magna facinora impetu valere, Treslongus ad auſtralem portam tendit, Robollius Borealem effringit, exurit,, atque urbem metu perculſam ingreditur. Ducenti admodum & quinquaginta urbem ceperant, cæteri claſſem ſervabant. Miles in ſacerdotes potiſſimum & ſacra nihil penſi neque ſancti habuit, unuſquiſque opes ex templis trahere, rapere, in naves auferre. Lumæus enim oppidum deſerere conſtituerat, niſi Treſlongus, Enteſius, aliique auctores fuiſſent, ne tam bonam occaſionem ignavia & ſocordia corrumperent. Ubi fama increbuit, Albanus contemnere inanes aſſultus, temeritatem hilari vultu externâ ſpecie excipere, interius revera ſollicitus pectore dolorem premebat. Namq; prudentibus viſum ipſam Hollandiæ clavem direptam, & per hanc jugulum Hiſpanię peti. Revera hic primum libertatis vexillum erectum, nutante mox totâ fere Hollandia. Miſſus ab Albano Boſſuvius cum decem cohortibus Hiſpanorum, navibuſque in Berniſſa relictis, in inſulam Vornam, ubi Brila ſita, nullo reſiſtente exſcenderat. Cum ad urbem ventum acriter manus conſertæ, ſuburbio à Geuſiis jam ante exuſto. Ceterum

cum

cum Rochus urbis architectus se in profluentem misisset, & perrupisset emissarium, subito infuso æquore campi stagnabant, Hispano se in aggerem recipiente. Interea Tres-longus, & Robollius clanculum urbe egressi naves Bernissę relictas ignibus subjiciunt, vel perforatas mergunt, vel in flumen propellunt. Tum facies totius negotii apud Hispanos incerta, atque fœda extitit. Unusquisque trepidare, neque signa neque ordines servare, dum hinc hostis illinc aqua in immensum crescens extrema minaretur. Itaque disperssi à se invicem alii in flumen prosilire, fluctuantes reliquas naves adnatare, nihil consilio omnia metu agere, plures gurges lutumve hausere.

CAPUT XIV.

PRÆLIVM CVM CLASSE DVCIS MEDINACELI, ET CVM CLASSE LVSITANICA. Anno cIↃ IↃ lxxii.

Dum invisa Belgis Albani dominatio extremam ruinam minaretur, Rex Philippus, sive quod ejus acta non probaret, sive quod Principum notæ artes sint calamitatum causas ministris tribuere, successorem statuit Ioannem Cerdam Ducem Medinæceli, qui clementiæ fama clarus animos Belgarum ad se traheret. Is classe quinquaginta quatuor navium Laredo vela ventis dedit, & in Belgium adventabat. Ex navibus viginti sex majores erant, reliquæ minores, quas Assabres Cantabri appellant. Præter pretiosas merces Julianum Romerum Præfectum militiæ

litiæ veterem cum bis mille (alii cIↃ IↃ) Hiſpanorum copiis claſſis vectabat. Interea Blancenbergam, portum Flandriæ maritimum, Cerda appulerat, ignarus Vliſſinganæ defectionis, & Geuſiorum vires mari in immenſum creviſſe. Quippe hominum genus mari innutritum proprio veluti elemento, multis direptis hoſtium navigiis, victorias victoriis cumulaverat. Vliſſingani præcipue Albani odio & inſita ferocia virtutem acriter intendere, nullis periculis moveri, ubique hoſtem excipere, advorſis navigiis concurrere, non deſiſtere niſi victores, denique fluctuante greſſu mare veluti calcare, & ſibi obnoxium habere. Hi cum cæteris Geuſiis conjuncti ſemper victores nunquam victi, quia victis extrema fati neceſſitas reliqua erat. Quippe ab utraque parte captivorum pedes vel mari abluebantur, vel infamibus deſtinabantur ſuppliciis. Sebaſtianus quidem Langius neceſſitati non virtuti ſuccubuerat, qui unius navigii Præfectus commeatum regium, ne miles & annona militaris Medioburgum veheretur, impedire tentaverat. Illum quatuor regiæ naves circumvenire, harpagonibus injectis manus conſerere, foros tranſilire, pro ſe quiſque ferro ferire, Noſtri propulſare, reſiſtere, hoſtem loco movere: denique ubi Noſtri ſe multitudine hoſtium oppreſſos vident, pulveri pyrio inaudita virtute ignem injicere, atque ita ſuo exitio hoſtem quoque involvere. Hoc primum illud eſt horrendum ſpectaculum, quo uſi Belgæ in hoſtem, cum nulla ſpes reliqua eſſet, ſed in morte ultimum eſſet effugium, atque ita infamem mortem antevortebant, & extrema quoque hoſtibus intentabant. Ubi igitur cuncta proſpere mari Geuſiis ſuccederent, claſ-

ſem quoq; Hiſpanicam Ducis Medinæceli duodecim minoribus bellicis navibus invadere conſtituerunt; & primo quidem oſtium Sluſani portus inſidere, cymbis advecti ſigna maritima, quîs brevia & ſyrtes monſtrantur, ſuccidere, quo mare importuoſum & vadis cæcum ſecuram navigationem in Sluſanum portum præpediret. Ita majora navigia prope Blancenbergam unco anchoræ fixæ mari ſuſtinebantur: minora, quibus eâ aquarum profunditate opus non erat, cum Duce ejusque familia Sluſam appulerunt, niſi quod quatuor vadis hæſitaverint, queîs una Balduini Ewaldi Vliſſingenſis juncta. Tum paſſim pubi Vliſſinganæ clamor mixtus hortatione, ſtrepitus & fragores tormentorum tonare, & ſua fulmina cum globis ingentis ponderis excutere, undique terrorem circumferre: deniq; eò res proceſſit, ut plures exHiſpanis cymbis vicinam terram peterent. Tum Noſtri modicis navibus, majores enim vada attingere nequibant, hoſtes undiq; fatigare, premere, certos globorum ictus torquere, præpropera victoriæ cupidine abripi, ſummo ardore eniti, feſtinare, denique hoſtem in deditionem accipere. Primæ deditionis auctor Balduinus Ewaldus, qui nautica pube incitata Hiſpanos in ſuo navigio in ordinem coëgerat, quîs ſuperatis æſtu navem allevante plenis velis Vliſſingam tendit. Interea nautica juventus, uti ſolet, prædę avida inconſulte reliquas devictas naveis deprædatur, atque ira & vindictę cupidine peſſimis conſultoribus abrepta igné immittit, cum iis opulentæ lanæ merces ſtiparentur. Medinaceli convocatis Sluſæ nauarchis, quibus & ſicca arenarum, & profunditas maris nota erant, artium harum inſolitus eos conſulit, qua ratione majora illa navigia, quæ

prope

prope Blancenbergam in anchoris ſtabant, in portum deferri poſſint. Illis affirmantibus nimis profunde claſſem aquas premere, non eſſe ſibi copiam conſilii, quo tuta in portum devehatur; Dux ſtomachatus, atque judicans partium ſtudio inclinatos ita ſermones ſerere, ſevere imperat, ut quocunque modo id tentarent, qui hoc edicto territi Urbe aufugerunt. Interea pecunia & aromatibus dives claſſis Luſitanica procul vela oſtentabat, & ſecura periculi, pelago ante jactata, portui vicina omnia proſpera animo conceperat. Et Cantabricæ naves, quæ prope Blancenbergam hactenus moratæ, rerum commotarum in Walachria certiores eos non fecerant, turgido & favente vento anchoris ſolutis Vliſſingam prætervectę, quę tormentis fruſtra intonabat, Rammekenum munimentum attigerant, & hinc militem cum mercibus Medioburgi expoſuerant. Luſitani cum præter Vliſſingam vectarentur, ſpecie amicitiæ à Vliſſinganis tormento ſigno dato, uti ante urbem anchoras mitterent, amicos eſſe rati facile obtemperarunt. Ita claſſis magna & opulenta prædę fuit, neque inſultu ſed dolo victa. Tres ex iis per Hontam, vaſtum Scaldis brachium, Antverpiam contendêre, una ex iis à minori bellica nave intercepta. Ita rebus acciſis ſubita fælicitate Fortuna in melius vorſa, cum ſine nervo opum nulla militia diu conſiſtere poſsit. Auri argentique ſignati ſexcenta millia, aromatum, unionum, pretioſorum lapidum dimidio plus repertum. Cæterum merces illæ difficulter emptorem invenêre, ſive quod eædem publicè rebus dubiis diſtrahi nequirent, ſive quod mercatores cum animo ſuo reputarent, & periculum & damnum ingens in emptione conſiſtere,

præſertim quia rigidus exactor Albanus edicto prohibuerat. Ingenti tamen hâc prædâ in immenſum Geuſiis animus crevit, &, uti fieri ſolet, rebus ſecundis promptiſsimi quique, ſpe prædę ducti ex vicina Britannia & Gallia eodem confluebant, plureisque cupido opum quam bellum trahebat.

CAPUT XV.

PRÆLIVM INTER SANCIVM AVILAM ET ZELANDOS, ANNO clɔ Iɔ LXXIII.

VRBEM Medioburgum non tantum Walachrię ſed Zelandiæ principem obtinebat adhuc pro Rege tribunus Mondragonius, Zelandi obſidione premebant. Qui Fortunæ fiducia freti perruptis catenis ex ipſa Antverpienſi ſtatione plerasque naves avexerant. Virtus virtute augebatur, & nobilis civitas commeatu defecta extrema expectabat. Sancio itaq; Avilę Præfecto arcis Antverpianę Albanus imperat, ut expedita claſſe obſidionem ſolvere, vel annonam procurare, ſumma ope niteretur. Propere quinquaginta majores holcades milite armatæ, minores commeatu ſtipatæ vela ventis dederant. Occurrerunt ſibi invicem naves juxta Terneuſam, & primo certamine Prætoria noſtra, cui præerat vir militię maritimę vetus & impiger Evaldus Petri Worſtius, à pluribus hoſtium valde quaſſata. Nondum juſta pugna, verum ubi ad Borſaliam inſulam ventum, utrinque inter proprætorias naves acre certamen con-

conſertum eſt. Sed vento prælium dirimente noſtra Borſaliam, hoſtium claſſis Terneuſam ſe receperat. Sequenti luce flante Favonio Noſtri virtutem cum velis intenderant, hoſtemque adoriri decreverant, ſed illi omne præſidium in fuga poſuerant, & perculſi Antverpiam contenderant, fugiendo tamen inprimis prope Barlandiam graviter excepti. Interea Antverpiam vorſum inter Lilloam & Ordammum pluribus navibus cum ruderibus disjecti monaſterii in Scaldi ſubmerſis, majoribus hoſtium navigiis commodam navigationem præpedire Noſtri tentabant. Neque id fruſtra fuit, cum majores naves in vado hæſitantes per aliquod tempus miſerum in modum colliderentur, neque flectere proras immobiles poſſent, leviores quę in celeritate præſidium poſuerant, vel evaderent, vel in manus noſtras devenirent. Paucis poſt diebus, ubi impetuoſus amnis rudera illa in altum ejecerat, Avila inſtructa claſſe Fortunam iterum tentans inter Borſaliam terreumque Walachrię munimentum ex advorſo noſtrę claſſi ſtetit. Tum primum immenſo clamore aër perſtrepere, tormenta tonare, fumo & igne mare tegi, cadavera volvi, cadentibus alii ſuccedere. Maximam primo hoſtilium navium, cui nomen Elephantis erat, adorti cum alia præſidiaria navi intrepidi duces Groenevenius & Everkitius. Ceterum hoſtium animus virtute accenſus ſub imperio ſtrenui præfecti & primarię inter Walones nobilitatis Domini de Blicquy. Noſtri tamen fortiter pugnando foros tranſilire, implicare ſe hoſti, punctim cædere, avidius alteri alteros ſauciare, quam ſemet defendere. Plures ex noſtris cum ducibus trucidati. Tandem devicta navi ſpectaculum horribile ſe exeruit.

Cuncti occisi, vel submersi, nihil denique crudelitatis reliquum fuit. Alterum hostium navigium, cui terrę promissę nomen erat, cum juxta munimentum terreum Regio milite insessum se recepisset, à Iusto tamen Morio acri insultu superatum est, atque adeo ipse miles, certior factus Vlissinganum terrâ adventare, suum munimentum reliquit. Calamitas calamitatem urgebat, & quocunque hostis intenderat, res advorsę erant. Quippe ex hostilibus navibus quatuor vadis impactę non pugnando devictę sunt. Namque cum militaris & nautica juventus se præcipites in cymbas dedissent, antequam litus tangerent velivolis nostris navibus oppressi, plerique mari vitam dederunt. In totum sex majora navigia tormentis & commeatu probe instructa Vlissingam devecta, reliqua juxta Rammekenum munimentum saluti suę consuluerunt, nisi quod unum vadis allisum ipsi Hispani igne corruperint, & quas victi ab hostibus pœnas metuebant, ipsi antevorterint. Octingentos admodum ex hostibus vel aqua, vel ferro periisse constans fama est. Sancius tamen per ferrum & igneis commeatu urbem providit, sed magna suorum calamitate. Ubi prima secundi venti & æstus copia, Antverpiam iterum tendit, quo rebus afflictis consuleret. Verum in faucibus freti ita exceptus, ut duę naves superatę, una ægre liberata, cæterę fugiendo Antverpiam reversę fuerint.

CAPUT

CAPUT XVI.

VELITATIONES NAVALES INTER BOSSUVIUM ET HOLLANDOS IN LACU HARLEMENSI,

ANNO CIↃ IↃ LXXIII.

CUM Harlemum à Frederico Toletano arctâ obsidione premeretur, lacu Harlemensi instructis navibus infractam civium virtutem contundere, annonam intercipere, & cum ferro res non procederet, fame, quod ultimum rerum humanarum supplicium est, vincere tentabat Bossuvius. Cæterum res ardua inprimis propter obices & claustra æquor illud tentare, atque adeò paucis licet navigiis obsessi aditus præcludebant, qui omnes labores, res dubias asperasque, omnia pericula metu imminentis periculi facile tolerâvêre. Perfodere primum aggerem, qua Yæ torrens lacui vicinus cataracta coërcetur, advorsę parti consilium fuit. Pulsis fugatisque, cum dies aliquot interceſſissent, multo atrocius redintegratum fuit prælium. Harlemenses tamen unâ admodum triremi, pontonibusque aliquot ingenti insultu hostibus ita incubuêre, uti turpiter fugam corriperent, quorum unum navigium flammis involutum fœdum spectaculum præbuit. Miles ferme omnis ignibus fumique tenebris cinctus vel aquis, quo se præcipitem dederat, vel ferro misere interiit, reliquis gulâ fractâ spiritus interceptus fuit. Cum non prospere hoc negotium cessisset, animus Bossuvii consilio fluctuans, neque vigiliis, neque quietibus

sedari

ſedari potuit, donec novi facinoris maturandi occaſionem arriperet. Opportuna illi res cecidit, ut perrupto obice, qua ſacra via Amſtelodamo imminet, in lacum nonnullas naveis dimitteret. Pubes nautica Harlemenſis incitata deſiderio pugnandi, nimioque æſtu flagrans, incompoſito ordine hoſtilem claſſem adoritur. Cæterum inconſultus ardor pene extremam Noſtris calamitatem intulit. Una triremium, longa octuaginta & quatuor pedes, longius à cæteris ſemota, quatuor aut quinque navibus cincta, expedire ſe nequibat, atque cum nihil opis aut ſpei reliquum haberet, victoris tandem arbitrio ceſſit. Gerardus Iunius Præfectus graviter ſauciatus ſcapha ægre ſe recepit. Eminebat in Iacobo Antonio, qui cæteras naves ductabat, excelſa fortitudo, qui omnia advorſa parvi ducebat, neque fractus Fortuna, ſed eadem ſuperior, omnia ſibi in ſeſe poſita judicabat. Incerti ſunt præliorum exitus, atque aliquotiens jam victoria exultantes oppreſſi inconſtantis ſortis ludibrio ſe expoſuêre. Antonius itaque cum cæteris navium Præfectis plus quam virili inſultu hoſtem iterum fatigat, triremem devictam poſt duarum horarum atrox prælium ſuperat. Victa & altera eadem virtute: cæſi ferme omnes tanquam piaculares victimę ſanguine vicinas aquas imbuerunt. Sparſa paſſim fluitabant ingloria cadavera, enſes cruore imbuti, neque ſatiati, adeò impotens ſui vindicta mentem æſtuantem conciverat. Ita penuriâ civium ſublevatâ Noſtri victores incredibili virtute ſuas veluti aquas tutabantur. Inauditum facinus prædonis Hoenii omnem admirationem excedit, qui duabus cymbis, quæ remigio agitantur, octodecim viris armatis Yam flumen inſederat.

Forte

Forte lancearii equites ad centum & quinquaginta Amſtelodamo Harlemum verſus iter inſtituerant. Pluvio cœlo (hyemis enim rigor ſe nonnihil remiſerat) viarum glaciales cruſtæ, equorum ungulis perruptæ, inferius lubricas implicitasque ſecum aquas trahebant. Cum itaque ad aggerem ventum eſſet, quà ad latera nullum effugium patebat, Hoenius, diviſis tam exiguis copiis, ante principia certis telorum ictibus vibratisque haſtis, quę illorum lanceis longiores erant, ita hoſtem fatigavit, uti retro cedere cogeretur; ubi iterum tam furioſo impetu eques impellebatur, uti neque à fronte neque à tergo ullum effugiendi, vel cominus arma conſerendi, copia eſſet. Namque equi huc atque illuc curſitando cœno ventre tenus impliciti ſe expedire nequibant, certoque cum inſeſſoribus ſuis exitio confodiebantur. Atque adeo tam proſperè hæ inſidię ceſſêre, ut aſpera fœdaque ſtrage ad unum omnes occumberent. Porro, ut ad inſtitutum revortar, Boſſuvius nuper lacu fugatus, tantę contumeliæ impatiens, quo honori ſuo conſuleret, Fortunamq; reſtitueret, iterum navale prælium meditabatur, atque in eam rem ſtrenuiſſimos quoſque milites, quorum promptam cognoverat audaciam, naveis inſtructas, quæ ad ſeptuaginta excreverant, & cuncta quæ prælio uſui forent, quam celerrimè comparavit. Diverſa noſtrę claſſis ſpecies, quę navibus exiguis, non probe inſtructis, milite, annona longe inferior, omnibus ferme ad expeditionem neceſſariis laborabat. Nihilominus, quod urbs nobilis non tantum milite feroci, qui jugulis illorum imminebat, verum etiam lenta fame preſſa, nullam moram admitteret, Batenburgius militiæ, Marinus Brantius claſſis Præfectus ex-

trema quæque experiri, quam ancipitem occasionem corrumpere, potius judicabant. Temerarius hic impetus, neque enim periculum sine extremo periculo vinci poterat. Gratum id Bossuvio, qui non modicis suis viribus fretus, divisis copiis à fronte & latere Nostros invadere tentabat. Atque adeo inter hostes victorię veluti certos clamor virûm, tubarum clangor, tympanorum sonitus terribilis ita increpuit, ut utrumque Præfectum suarum virium gnaros ingens concusserit consternatio. Ubi animus timore obstupuit, consilia omnia in ancipiti fluctuant. Imperatum quidem sociis navibus, uti in adventantem hostem recta vela intenderent. Cæterum dum ipsi Imperatores cursum quam celerrime ab hoste deflecterent, nonnullę naves simili sorte clavum vortunt, superstites, cum solę hosti resistere nequirent, in fœdam fugam actę, viginti & duę à Boshusio captæ: reliquis Caga pagus, qui lacui incumbit, receptui fuit. Plerique ex militari & nautica pube, qui se præcipites profundo dederant, tamdiu lassas manus in aquis jactarunt, donec ripam attingerent. Ex quo firmatę res hostium deditionem urbis Harlemensis maturavere, quamquam in longum tracta obsidio, neque virtute vel armis, sed fame ignobili genere vincendi fortissimi cives ad deditionem compulsi. In cives militesque quæsitissimis suppliciis sævitum, lassę conficiendis cadaveribus carnificum manus, &, donec Hispanus armis, cadaveribus, luctuq; omnia compleviſſet, vix tam ferali spectaculo se satiavit. Quâ crudelitate id peractum est, ut cæterę civitates extrema potius pati, quam Hispanis se permittere, decreverint.

CAPUT

CAPUT XVII.

PRÆLIVM INTER COMITEM BOSSUVIUM ET WEST-FRISIOS IN SINU AUSTRALI, Anno clo Io lxxiii.

VIderat Albanus non terrâ sed mari West-Frisios superandos esse, neque proclivem esse victoriam adversus eos, qui ex vicinis aquis ferociam & confidentiam contraxerant. Ingentem itaque classem propere construi jubet, uti sinus Australis imperio potiretur. Instructa hæc triginta navigiis, commeatu, milite, armis stipata. Prę cæteris eminebat Prætoria navis, cui invisum Inquisitionis nomen datum fuerat, triginta & duorum tormentorum capax, duplici tabulato impervia. Præter centum & quinquaginta socios navales, duo signa militum navem impleverant, inter quos ducenti Hispani, sub Præfectis Alfonso de Corquera, & Ferdinando Lopezio. Præfectus classi erat Maximilianus Henninius Bossuvii Comes, militię impiger, & Albano gratus. Primo die, quo classem solverat, vada Yæ fluminis transitum denegabant. Quippe vetustis navigiis, ingentibus lapidibus & ruderibus refertis, claudere flumen tentaverant West-Frisii. Proviso jam ante malo, & ferociente vento, periculo classem exponere inconsultum visum fuit Comiti. Verum postridie aquarum, quę admodum excreverat, superficies, vento minus aspero, ostia classi aperuit. Extra Nostrorum quoque suspicionem impetuoso flumine disjecta aliò navigia fuerant. Dum classis hostilis

adventat, jussu Archithalassi Cornelii Theodori accersiti in Prætoriam reliquarum navium duces, uti decerneretur, an tutum esset ad Yam flumen hostem opperiri, an potius se profundo committerent. Concilio militari visum æquora petere, atque ibi hostem fatigare. Maxima quidem eos cum hoste manus conserendi cupido invaserat, sed cedendo vincere, & laxo æquore prælium tentare consultius visum fuit. Secessum solutis anchoris à nostra classe ad eum locum, qui Pampus appellatur. Erecti hac secessione hostium animi, & Schellincwoudanum munimentum terra marique valido impetu impugnant. Præfectus Broechusius cum suis singulari virtute munimentum tutabatur, verum impar tantis copiis (neque enim ullę suppetię in propinquo, & classis nostra cursum inde divorterat) Edamum & Monachodamum se recepit. Cæterę quoque hinc arces vicinę eodem die fidei Comitis se dederunt. Ingens hic rusticis calamitas incubuit, quibus, inconsulto mandato Broechusii, ne quidem sua in urbem deferre vetitum fuerat, forsan quod illorum robur usui sibi fore crederet, quandoquidem pro privatis facultatibus multo acrius quam pro publico bono pugnatur, atque adeo damno proprio mortalium animi magis accenduntur. Verum res longe aliter cecidit, cum enim terra marique ab hoste cinctus Broechusius necessitati parere cogeretur, ubique ruri res trepidæ, metus ingens, malum improvisum, damnum grave rusticos affligebat. Relictis navibus spoliis incumbebat nautica pubes, & passim per agros diffundebatur. Pulcherrimi tum facinoris nata Nostris erat occasio, classis nimirum diripiendę, si virtus & audacia in promptu fuisset. Edamenses opportuno

portuno tempore ejus rei classiarios certiores fecerant, sed metus & diffidentia, infirma virtutis vincula, pectora pulsabant. Qui autem metuit, victo similis, qui victoriam magno animo sibi spondet, ut plurimum victor evadit. Verum integra adhuc nostrâ classe Hornani vicinique trepidi improviso metu, attamen antiquæ virtutis memores, iterum novam spem concipere, incredibili celeritate cum Enchusanis nova navigia ædificare, classi jungere, omnia expedire. Classis nostra viginti quatuor navigia numerabat, sed militaris pubes deerat. Decretum, uti dimidia pars Hornanorum civium, sive jaculatorum, se aquis mandaret. Jamque adeo sortitio facta, cum defensandæ urbi eos reservare consultius visum fuit. Præsidiarius itaque miles ex dimidia parte duce Ruichavero huic expeditioni destinatus. Interea rebus secundis insolescere hostis, probra jacere, convitia torquere, Nostris tanquam victis insultare, quod frequentissimum initium calamitatis esse solet. Cunctando quoque Bossuvius Fortunam non prensabat, sed inspiciendis munimentis tempus trahebat, in quam rem Franciscum Verdugo ad Ducem Albæ miserat. Horrida dein tempestas per aliquot dies mare exasperaverat, & Hispani aquarum insolentes navigationes instituere nequibant. Bossuvius ipse postmodum Amstelodamum profectus moras nectendo occasionem negligebat. Namque bella consternatis hostibus fama & impetu valent, intermissa integram spem spiritumque eisdem restituunt. Tertio demum Octobris Amstelodamo profectus anchoras solverat, sed quinto demum die ferociente vento superavit vada loci, qui Pampus appellatur. Nostri intrepidi ad Marcam insulam

hoſtem opperiebantur. Tum primum ab hora tertia uſque ad extremum diei tormentorum fragores audiri, ſtrepitu & clamore nautico omnia miſceri, Noſtri fruſtra eniti, ut ſe navibus hoſtilibus innecterent, quia celeritate mobiles facile elabebantur. Neque Boſſuvio conſilium erat manibus conſertis dimicare, ſed naves tormentis fatigare, velocitate illarum impetum eludere, & ſine periculo vincere. Quę cum Noſtris deeſſent, virtutem in manibus ponere, modo ſequi, modo cedere, omnem occaſionem cominus prælian-di captare. Hiſce velitationibus præcedens ſequensque dies tractus, donec, duobus hoſtiũ navigiis interceptis, cominus præliandi incubuit neceſſitas. Uni præerat Sculenburgius, affinis Boshuſii. Quem aggreſſus Iacobus Tillus centurio navalis tertio inſultu ſuperavit, Præfectum cum ſex vel octo captivis Hornam miſit, cæteri circa quinquaginta vel ferro confoſſi, vel aquis perierunt: tantum duo ex Noſtris occubuere, cæterum Præfectus cum viginti aliis ſaucius. Itaque hoſti placuit iterum Fortunam maris experiri, atque adeo ſucceſſit belli alea, extortâ iterum navi, verum jam antea tormentis bellicis ademptis. Præfectus Tameſius Frederici Monachodamenſis aliud aggreſſus fuerat navigium, ſed fruſtra. Prætoria enim hoſtium navis cum duobus vel tribus aliis expeditis navigiis confeſtim illum inſultare, atque tormentis ſimul omnibus exploſis ita excipere, ut quadraginta viri una vice occumberent. Non minor tamen hoſtium ſtrages, conſtrata paſſim navigia cadaveribus, & infecta ſanguine. Neque Præfectus homo imperterritus navem hoſtilem, niſi cum morte reliquiſſet, verum hoc furore bellico, ſolutis ab hoſte harpagonibus, ab eâdem diſ-

junctus

junctus fuit. Hoc die plurimi utrinque violento fato occubuere, ipse Archithalassus Cornelius Theodori dextra saucius. Certam sibi spoponderat victoriam hostis, ignarus rerum humanarum, quæ præter opinionem sæpe mobiles in advorsa mutantur. Jussum fuerat, uti eodem die, quo hoc prælium consertum fuit, illi, qui Alcmariam obsidione urgebant, & vicina Waterlandię insederant, pagos ignibus subjicerent,(quod & patrarunt) ut vicino incendio classiariis, inter quos & rustici, extrema metus & desperationis incuterent. Verum nullum emolumentum hosti cessit, nisi quod ventum antevorterit. Nostra quippe navigia ad inferiora versus Hornam delata prope Neccam sederant, hostis nostram stationem occupaverat. Bossuvius jam antefisus expeditæ classi, & militaribus copiis, Nostris animum conserendi manus defuturum crediderat. Verum cum eâ de re Ioannes Simonis Rollius cum Comite sermones sereret; sibi notam esse illorum virtutem, robore infractos esse, plerosque mari innutritos, prudentia opus esse, hostem contemnere proclive, vincere magni operis fore, Comes risu illa excepit, & in opprobrium hostium vortit. Verum post prælium invicta illorum virtus patuit, neque eos vitę suę peperciſſe, sed mortis contemptores etiam hostibus graves fuisse. Quinque sequentibus diebus nihil ab hoste etiam propitio vento tentatum. A nostra parte, ubi nata occasio, non velitationibus, sed confestim legitimo prælio hostem adoriri ex usu esse videbatur. Deërat enim pulveris pyrii copia, neque comparandi ulla erat facultas. Monitus quoque à Proceribus West-Frisiæ Præfectus classis fuerat, ne pulverem frustra consumeret, verum valido impe-

impetu quam primum hoſtem adoriretur, non eſſe eandem hoſtium promptitudinem, vehementes motus poſt ultimum prælium ſubſediſſe, timoremque incuſſum, omnia virtuti noſtrę prona, non tam pro gloria, quam pro omnium ſalute pugnari. verum, uti Procerum voluntates ſubito inclinant, atque ipſæ ſæpe ſibi advorſę ſunt, undecimo Octobris, à Præfecto Sonoio Archithalaſſus literas accepit, quîs cunctandum ad tempus, neque manus cum hoſte conſerendas ſcribebatur. Verum ille pugnandi deſiderio flagrabat, & literas, quarum tenor clam habebatur, in ignem miſit, ipſe motu corporis atque animi igneus. Euronoto ſpirante, qui ſecundus erat, ſublevatis anchoris recta in hoſtem fertur. Nulla illi utilis videbatur cunctatio, neque ex craſtino pendere, conſultum erat, cum confeſtim tutius hoſti manus intentarentur. Interea hoſtis, cui inopinatus hic obtigerat caſus, ad prælium quoque ſe parat. Jamq; adeò medium diei proceſſerat, & (ſicut poſtmodum compertum) prandio jam conſtratæ menſæ erant, cum Boſſuvius alio ferali & ſanguinolento exceptus eſt convivio. Naucle-rus quidem Prætorię navis conſternatus hoſti propinquus clavum deflexerat, verum per vim illo excuſſo Iohannes Florentius, dignum virtute Batavicâ ſe virum præſtitit, & intrepido pectore rectà in hoſtem tendit. Sicuti autem non rarò timidiſſimus quiſq; primus occumbit, ita prior vix clavum vorterat, cum fatali telo confoditur, is autem, qui vices ejus obierat, nullo vulnere ſaucius evaſit. Utrinque hinc tormenta tonare, igne & fumo cælum & mare obduci, claſſiarii horribile ſpectaculum edere, Noſtri per medios ignes in hoſtem ruere, vitam ac mortem juxta æſtimare. Boſſu-

vius

vius ex Prætoriâ navi anchoram jacere ſatagebat, ne verſus inferiora fluitaret, ſed veloci impetu Noſtrorum, qui harpagonibus ſe innectebant, intercepta anchora in medio hæſit, neque dimitti in profundum maris potuit. Quod & illi præſenti exitio fuit. Noſtri autem, etſi tormentis bellicis & militari pube longe inferiores eſſent, forti tamen paratoque animo patriæ ſalutem atque libertatem in dextris ſuis portare, ſummo niſu aditum in hoſtilem navem urgere, neque minus illi qui advorſæ partis occurſare, audaciam pro muro habere, plureis vulneribus acceptis concidere, neque tamen quietem pati. Verum Noſtris melior erat pugnandi conditio, quod ex altiori navigio certius ignitos globos & miſſilia jacularentur, quod proclivior in hoſtilem navem deſcenſus, quod cuncta, quæ hoſtes gererent, omnium oculis paterent. Quîs acceſſerat memorabili arte lorica ex vetuſtis retibus in unum compacta, quæ & minoribus tormentis impervia eſſet. Dum hoc modo tela eluderentur, ſecuri à metu ingentem hoſti terrorem intentabant. Namq; ex corbis faſtigio promptiſſimi quique cum ignivomis machinis calcem vivam in hoſtes jacere, quâ aſperſis oculis officia militaria turbabantur. Adorti mox eandem navem à latere Petrus Backius, à prora Iacobus Tryntgeſius, à puppi Boërius, centuriones infractæ virtutis, quorum ultimus machinis igneis admodum impetitus, navem avortere ab hoſte coactus fuit, ne extrema incendii expectaret. Interea treis Noſtratium cum Prætoriâ hoſtium navi luctantes, atque eidem innexæ verſus inferiora fluitarunt, atque ex advorſo Neccæ juxta Wyneſſam vadis hæſere. Emicuit inter præliandum Ioannis Harin-

gii virtus an inconsulta temeritas, qui in hostilem navem transiliens, per funes nauticos mira celeritate transcurrens apluſtre ademit, & jam erepto victoriæ signo ad suos revorti cupiens, pectore confossus fortissime occubuit. Neque minus fortiter à cæteris Præfectis contra hostem dimicatum est. Regia navis, cui præerat Gulielmus Vestius, summo impetu capta, quæ antea tormentorum violentis ictibus quassata, captivis ægrè, juxta cum quatuor æreis, & quinque fusilibus ferreis machinis, subductis, aquarum plena fundum petiit. Quinque aliæ minoris ponderis vadis collisæ, non difficulter expugnatæ, cum illud anxie metuerent, ne vicino Martis fulmine vel conflagrarent, vel pessum irent. Reliquę naves infami socordia trans locum, qui Pampus dicitur, aufugêre, nonnullæ, ne cæcis vadis hæsitarent, etiam machinas bellicas mari dederunt. Tanta subito torpedo animos illorum oppressit, ut obliti honoris sui, quod primum esse viris bellicosis solet, obliti sacramenti militaris, Fœderatorum prædę Bossuvium reliquerint. Decretum quidem concilio fuerat, prima luce iterum se Nostris sistere, fortunam maris tentare, aut mortem oppetere, aut Prætoriam navem exitio eripere. Sed creperâ luce Simon Rollius Propræfectus cogente Hispano milite Amstelodamum recta tendit, cæteris vexillum navale sequendi necessitas incubuit. Sin primâ fugâ, hoste formidine attonito, uti nonnullis visum, insecuti Nostri fuissent, tota admodum classis fusa, profligata, sicco arenarum allisa, exitioque destinata fuisset. Hortante acriter consule Theodoro Edamensi, cui bonum publicum inprimis cordi erat, plurium tamen suffragia contra prævaluerunt, tum quod nox tenebricosa

cosa navigantibus infesta esset, tum quod vulneratorum multitudo naveis premeret. Interea Bossuvius militię impiger à tribus Fœderatorum navigiis cinctus, neq; probi militis, neque Imperatoris officium prætermittere, lorica ferrea munitus, clypeo gladioque horridus invicto animo non tantum contra hostes, verum etiam contra Fortunam subsilire, omni nisu conari necessitates effugere, quas tamen vincere nequivit. Flagrabant & micabant oculi, sanguine ex imis præcordiis exæstuante vultus ardebat, corpus nimio spiritu tumidum, & concitum, crebro & vehementi motu agitabatur. Ipse omneis voce, gestu instigare, non tantum aliis, verum etiam sibi virtutem imperare. Nostri continuis ictibus tormentorum undique hostem fatigare, ex corbita calcem vivam, lapides jacere, ita ut ad extremum nulli tabulatis insistere auderent: hostes tamen ex inferiori navis parte plurimos nostrûm confodere, queîs virtus in temeritatem fere vorsa fuerat. Nostrûm alii in foros transilire, & vel fato occumbere, vel vulnerari, labi, iterum eniti, omnia impetu & violentia agere, nihil præter victoriam pensi habere. Cadentibus aliis vel vulneratis, novo milite continuo suppetias ferebant Hornani, sauciosq; avehebant. Tantusque pro patria tuenda ardor fuit, ut multi cives, immixtique agricolę se ferventissimo prælio sponte immiscerent, sanguinemque suum libertati consecrarent. Tandem vero Bossuvius non animo, sed necessitate victus, postquam per viginti & octo horas etiã nocturno tempore acerrime pugnatum esset, ex trecentis omnes præter quatuor decim vel quindecim milites cruenta morte cecidissent, vel vulnerati essent, duodecimo Octobris die conditionibus qui-

buſdam Præfecto claſſis Cornelio Theodori, centurioni Ruichavero, & Ioachimo Nievindio quęſitori navali ſe dedidit. Omnibus vitam incolumem, ſibi honeſtum & Comite dignum carceré ſtipulatus eſt. Conventum quoque eſt, uti milites, vel cum aliis captivis commutarentur, vel menſtruo ſtipendio, more antiquo militari, redimerentur. Hiſpani tamen, inter quos Corcuera & Lopeſius Præfecti navales, quod ſe plebi inviſos ſcirent, conditiones recuſabant, antequam à Sonoyo, Proceribusque Weſt-Friſiæ firmarentur. Præter plures ex nobilitate trecentos captivos fuiſſe à plerisque memorię relatum fuit, verum literis Weſt-Friſiæ Procerum ad Principem Auriacum ducenti tantum memorantur. Boſſuvius ubi Hornam advectus, fremere plebes, probra jacere, cædem Roterodamenſem illi objectare, cum idem advorſum ſe animus fuerit, nunc in promptu ſcelerum præmia eſſe. A magiſtratu tamen officioſe exceptus eſt; ſicuti Procerum moderatiores animi, quam inconſultæ plebis, atque utramque Fortunam penſare ſoliti. Aplu-ſtri Archithalaſſi in templo Hornano ſuſpenſo, omnium ordinum homines, lætitia immodici, concurſare, gratulari ſibi Patriæque, apertis templis Deo immortali grates agere, lachrymis gaudio exilientibus ad cælum manus tendere, precari uti hæc fœlicitas perpetua foret. Contra hoſtes luctu immenſo perfundi, fugitivi culpam Boſſuvio imputare, uti ſuam apud Ducem Albæ diluerent. Verum ille imperterritus corpore & animo fortiſſime dimicaverat, per triennium tamen carceri mancipatus pace demum Gandavenſi ad ſuos reverſus eſt.

CAPUT

CAPUT XVIII.

PRÆLIVM NAVALE IVXTA ROMERSWALIAM INTER HISPANOS ET FOEDERATOS, ANNO CIↃ IↃ LXXIV.

LUDOVICUS Requeſenius in Belgium à Rege miſſus erat, uti rigorem atque inviſam crudelitatem Albani clementiæ & modeſtię fama temperaret. Erat illi ingenium mite, acceſſus facilis, ad ſimulanda negotia ſolertia mentis profunda: quîs non tam virtutibus quam artibus trahere Belgarum populum nitebatur. Prima illi navalis fuit expeditio liberandę principi urbium Walachrię Mediburgo, quam prope biennium ad extrema neceſſitatũ redactus defendebat pro Rege Mondragonius. Ipſe Antverpiam profectus, quo præſentia ſua expediundę claſſi vim & robur adderet, animosque civium accenderet. Neque minor Principi Auriaco cura, qui Delphis Vliſſingam profectus, Hollandiæ Zelandiæque bellica navigia coëgerat, quo incitante immane quantum animi omnium inprimis pubis nauticę exarſerant. Requeſenius ubi vidit etiam immenſam claſſem modicis viribus in anguſtiis amnium ſiſti poſſe, duabus claſſibus duplici quoq; curſu tentare Fortunam ſtatuit, qua Scaldis in duos ſe ſcindit alveos, uti Fœderatorum vires divideret, & hac vel illac, extrema neceſſitate Arnemudâ tenus, quæ Regi adhuc erat obnoxia, obſeſſos liberaret. Triginta majoribus navigiis præpoſuerat Sancium Avilam, ſeptuaginta minoribus defuncto Beauvoſio Gli-

meſium Belgam, inani ſpecie imperii, quo indigenarum animos non ignotis artibus ad ſe traheret. Namque ſummum imperium, & militiæ cura Iuliano Romero tradita fuit: vel quod Glimeſio etſi rerum militarium gnaro, momentum tanti operis non crederetur, vel quod inſita Hiſpanis ſuperbia nullum alium, quam ſuæ nationis Præfectum admitteret. Quindecim enim vexilla Hiſpani militis claſſibus impoſita. Extremo Ianuarii Avila Antverpia, neq; multo poſt Glimeſius & Romerus Bergâ ad Zomam vela ventis dederant. Futuri advorſi certaminis præſagium veluti dedit primum diſceſſu Bergenſium naviũ infortunium. Dum enim honori ſummi militię Belgicę Imperatoris tormenta paſſim exploduntur, incuria igne in pulverem pyrium jacto navis colliſa, plerique, qui in tabulatis forte conſiſtebant, præcipites in aquam miſſi, mortique erepti, plures tamen aſſeribus navium icti, miſere multato corpore evaſere, inter quos Præfectus Franciſcus de Bovadilla vulnere ſaucius navigio ſe dare nequibat. Romero præceps & velox erat navigatio, tardior Glimeſio, quem impatiens prior prope Romerſwaliam expectabat, ſive quod Glimeſii naves navigationi non adeò commodę eſſent, ſive quod ejuſdem cunctatio conſulta eſſet, & propior conſtantię, alterius autem velocitas temeritati. Ludovicus Boiſottus Zelandię archithalaſſus, qui ſumma cura hoſtium molimina explorabat, certior factus, octo minora navigia velitationi cum hoſte conſerendę quàm mature præmittit. Ingens ipſe virium atque animi concilium militare vocat. E re judicatum, vento ſecundo, cauro nimirum flante, contra æſtum advorſum obniti, uti poſtmodum ſecundo fluxu certamen inirent.

inirent. Quatuor interea bellicę naves juſſę à Gulielmo Principe copiis ſuis navalibus adeſſe, quîs Sancio Avilę occurreretur. Verum ex parte Boyſotti in concilio de modo hoſtem adoriendi contentio non levis orta inter Scottum & Nicolaum Nicolai Præfectos militareis. Ea tutiſſima Nicolao pugnandi ratio viſa, ſe infra tabulata recipere, ubi ſimul tormenta hoſtium lethales globos ejacularentur. Stipatus enim miles certo mortis periculo objiciebatur. Scottus impotens & nimius animi, primo inſultu in hoſtium foros tranſiliundum cenſebat. Omnia magna facinora primo impetu valere, eum qui quocunque modo cedit, etiam Fortunæ cedere. Placuit hæc ultima ſententia, uti objectu corporum prælium conficerent, & per mortes victoriam raperent. Quippe victis nihil ſpei reliquum, quam mare. Anchoris itaque ſolutis in turmas tres ſe dividunt, ex quibus prima ſedecim majoribus, decem modicis navigiis, ſecunda, uti & tertia, decem majoribus, quatuordecim modicis conſtabat. Ita vitę juxta ac mortis contemptores plenis velis in hoſtem feruntur. Ingenteis hinc contentiones inter ſummos hoſtiles Præfectos coörtæ. Glimeſius in maritimis præliis vento & æſtu advorſo ſe hoſtibus objectare inſolens eſſe dictabat: neque enim tantum cum adverſariis, ſed cum aquis præcipiti fortunâ luctandum eſſe. Quem Romerus immodicus animi rogavit, an ignavia & timor illius pectus percelleret, reſpondente altero, certaminis eventus hoc indicabit. Duabus itaque diviſis navium catervis Zelandis obviam itum. Juxta Lodicenſe oſtium tormentis jam invicem peti quibant. Glimeſius, ubi in tabulatis prætorię navis confertum militem cum

nauti-

nautica pube conſpicit, flexo confeſtim clavo, ex latere tormentis duobus æneis, quę præter globos ſcruto conſtipata erant, excuſſis, centum admodum fiſtulis & bombardis ſua ſpargentibus jacula, plures è conglobatâ multitudine è medio ſuſtulit. Volvi paſſim cadavera, morientum gemitus audiri, vulneratorum ingens clamor cœlum rumpere. Boyſotto aculeo ligni oculus effoſſus, quod ille dehoneſtamentũ corporis virtuti ſuæ imputabat. Nicolaus pede uſque ad crus ablato, Scottus adempto brachio, majoribus venis ſanguinem fundentibus, glorioſo fato quanquam miſerabili occubuerunt. Rebus ſupra votum primo impetu Hiſpano fluentibus, imminebat Prætorię atque adeò jam inſultabat hoſtilis pubes, ſed ſuppetias ferendo hoſtem quoque adortus Adrianus Cornelii centurio: atque adeo virtuti jam cuncta patebant, nihil ſocordia claudebat. Namque eodem tempore novem regiis navigiis injectę pedicę, atque in plures idem tentatum fuiſſet, niſi anguſtia fluminis impediviſſet. Nullus amplius erat tormentorum uſus, gladiis cominus res agebatur, alterum alterum confodere, vulnerare, incertâ fortitudine cadere, atque iterum eniti, vago motu & disjecto inter ſe luctari. Acerrimo prælii Caſpar Leinſenius Zoetelandus, unus ex promptiſſimis inter globorum nimbos apluſtre Glimeſio ademit, quo involutus ad ſuos incolumis revorſus eſt. Virtuti præmium veſtis nautica conſtituta. Romerus, ſigno claſſis dempto, metuens ne reliquæ naves ſine duce vagę fluctuarent, mali culmine novum erexit, quod ſequerentur: atque adeo virtutem militis auxit, ut jam ſexaginta, callide non renitente Boyſotto, in noſtram Prætoriam navem tranſilierint, quos illâc

illâc accenſus pulvis pyrius in altum certa morte adegit. Cujus horrendi ſpectaculi pars magna fuiſſet Romerus, qui in tabulata quoque ſe demittere tentabat, niſi paulo ante ignis feralis ſuas vires exeruiſſet. Utique peritia militię nauticę, machinarum artificioſis ignibus, quîs continuo hoſtis quaſſabatur, navium magnitudine & robore, hoſtilis claſſis longe inferior erat. Romerus itaque metuens, ne à pluribus noſtratium navigiis, quæ recta in illum ferebantur, cingeretur, inprimis quod plerique ſuorum jam ad fugam ſe expedirent, cuncta vela etiam ad proram intendit, uti manibus noſtris elaberetur. Verum uti nihil tam fortuitorum capax quam prælium navale, & ſi uſpiam pleraque hic ex lubidine Fortuna agitat, antennâ excuſsâ nullum patuit effugium; itaq; ut neceſſitati conſuleret, præcipitem contra Tolenſem ripam navem Præfectus egit, & cum ſociis, qui vel cymbę ſe commiſerant, vel enatarunt, ad proximum litus incolumis evaſit. Interea Requeſenius cum prima nobilitate ſpectator pugnæ in Scakerlöenſi aggere, largo imbre perfuſus eventum expectabat, cui adventans Romerus non deprecatur culpam, vel temeritatem, ſed mari horridus voce aſpera Imperatorem alloquitur, ſe non navali ſed terreſtri militię aſſuetum, idoneum cunctis admodum claſſibus perdundis. Navis, quę ante ſicco arenarum hæſerat, æſtu levata nullo adjutante in profundum ſe iterum egit, ubi ſorte advorſa quinque naves noſtræ occurrentes per dimidium horæ illi implicitæ, aliis hoſtilibus navigiis fugiendi occaſionem dedere. Namque ſole cadente, vento, æſtuque ſecundo, ingenio loci diffiſi, plenis velis Bergam ad Zomam contendêre. Ozorius de Angulo ſubſidio claſſi

futurus poſtrema tenebat, atque advorſo æſtu ulterius progredi nequibat, neque etiam conſilium fuit periculo arenarum ſe exponere, quîs jam cæterę naves hæſitabant. Cruento itaque ſe huic certamini propius non immiſcuit, ſed tormentis & fiſtulis noſtros fatigabat. Pugnando interim vadis quoque alliſa Prætoria navis Glimeſii, qui tamen infractus animo, contemptu ſummo vitę, extrema expectabat. Ille ducis ſimul & militis munia obire, cuncta pericula poſt decus & gloriam ponere, omnibus locis adeſſe, feſtinare, per medios ignes hoſtiumque jacula, per ſtrictos enſes ruere, donec tandem duobus globis ictus occubuit. Navis incenſa, incertum an noſtra, an hoſtili manu. Ex aliis navibus octo occupatę tanta ferocia, ut nulli parceretur, ſemianimes nonnulli in mare volverentur, neque torques aurei neque militaria ornamenta cupidam alioqui prædę juventutem morarentur. In tormentis itaque bellicis præcipua præda, nulli admodum captivi. Plures quoque naves, quę commeatum vehebant, vel vadis ruptę, vel continuis tormentorum ictibus hiſcentes fundum petierunt. Mille ex hoſtibus hoc prælio ſanguinolentâ morte ſuccubuerunt, uti à noſtris Hiſtoricis relatum eſt, ipſi ſeptingentos fuiſſe memorant, & quidem duplo majorem cæſorum à noſtra parte numerum. Non inſolens tamen Hiſpanis ſuas calamitates premere, alienas in majus augere; imo aliquotiens victi, arcano Regio apud ſuos famâ victores fuêre. Interea tamen ab alia parte Sancius Avila, claſſe ſua, ſyrtibus jam antea effractis duobus navigiis, inter Terneuſam Vliſſingamq; horrorem Principi Guilielmo intulit. Neque enim naves reſiſtere validæ, neque militares copiæ,

quas

quas Boyſottus ſecum duxerat, in promptu. Et hoſtis jam victor, ſi tempore, quod omnium rerum primum eſt, uti ſciviſſet. Æſtu ſecundo Medioburgum tendere in proclivi fuiſſet, ſin anchoris fixis juxta Breskenum non cunctatus occaſionem neglexiſſet. Et mox nuntiata Glimeſii clade, in celeritate fugę turpem fortunam poſuit, & modo metuendus, nunc conſternatus confeſtim inde Antverpiam ſe corripuit, veritus ne infeſta belli navalis tempeſtate obrueretur, victoribusque novam largiretur victoriam. Ita utraque claſſe vel victa vel fugata, Medioburgum opulenta Walachrię civitas preſſa fame Principi Auriaco ſe dedidit.

CAPUT XIX.

PRÆLIVM NAVALE INTER ZELANDOS, ET CLASSEM ANTVERPIANAM, ANNO CIↃ IↃ LXXIV.

CUM Antverpiæ Hiſpanorum militari ſeditione propter ſtipendia non perſoluta cuncta flagrarent, atque ferociens miles, qui nihil conſulti, neque penſi habebat, neque ulla auctoritate mitigari poterat, electo duce, turbulentis conſiliis, nocturnis diurniſque tumultibus, plurimum terroris atque periculi urbi opulentiſſimę minaretur, claſſem triginta majorum minorumque navium, quæ juxta urbem ſedem poſuerat, longius removere Proceribus ex uſu publico videbatur. Ingens enim metus inceſſerat, ne miles exuto omni Magiſtratus imperio rebus ſuis tutandis etiam propinquam claſſem invaderet, atque ita

conjurationis ſuum quiſque negotium exequeretur. Verum ſtipendiis partim ære, partim pretioſis mercibus, poſtmodum perſolutis, ſedatis animis, ſimul ob Mochenſem victoriam feſtivus & triumphalis proceſſerat dies. Triumphalibus veſtibus luxuriabat miles, lætitia tota diffluebat Civitas, poſt diſſonos tumultus ſumma erat tranquillitas. Cæterum mens humana futuræ ſortis neſcia, dum advorſa & ſecunda caliginoſa nocte premit Deus immortalis. Ad tuendam fœlicitatem alia fœlicitate opus eſt. Hâc enim occaſione Zelandi natura feroces, vehementes, manu prompti audaciam acuebant, & lubidine exſcindendę hoſtilis claſſis ſupra modum inſtigabantur. Ludovicus Boyſottus archithalaſſus modico navium apparatu Scaldis fluenta ingreſſus, quò facilius tantum negotium procederet, velociſſimas præmittit, quę de omnibus illum certiorem redderent. Duæ hoſtiles bellicæ naves, quę longius à cæteris ſemotæ excubias agebant, haud difficulter occupatæ. Ex captivis cognitum, claſſem juxta Ordamum, Calloam, Lilloamque inter ſtationem poſuiſſe. Boyſottus, qui maximum bonum in celeritate putabat, ocyus eò contendit, quo imparatum hoſtem deprehenderet. Claſſis ſparſim diffuſa imminentis periculi ſecura anchorarum uncis tenebatur. Cumque adeò jam ad tertiam partem milliaris non procul hoſtilis claſſis fœderatorum oculos ſtringeret, ſubſidente ſubitò vento conſilia nutabant, nunquid non irrita expeditione curſus iterare relictos expediret. Dum animus dubius huc atque illuc impellitur, derepente motantes iterum auræ vela impleverunt, & ad conficiendum pulcherrimum facinus navalem turbam aquis indomitam incitarunt. Ho-

ſtis

ſtis ſubito periculo commotus, neque diu cunctandum ratus, vela intendit, atque omne in fuga præſidium quærens, Antverpiam proficiſci maturabat. Zelandorum naveis conficiundo itineri expeditiores, imprimis quod Oceani illuvie & ſordibus nuper purgatę eſſent, Regias, quæ Calloam prætervectę jam erant, aſſecutę, ita tormentorum continuis ictibus quaſſarunt, uti duæ bellicæ naves, præter minorem Britannicam, extrema neceſſitate ingruente ad deditionem compellerentur. Treis aliæ ad Brabanticum latus, una ad Flandricum vadis hæſitantes, ignibus conſumptę. Cæterę, cum nautica hoſtium turba cymbis ſiniſtro fluminis lateri appuliſſet, immenſo labore funibus attractę ægre ſe receperunt. Atque hæc cauſa fuit, ne totam claſſem extrema corrumperent, quanquam etiam Hiſtoricis, qui hoſtium partes ſecuti, ſedecim, ab aliis viginti naves vel concrematas, vel occupatas fuiſſe, memoratum invenio. Interea ſubito tumultu & periculi magnitudine commota Civitas, atque, uti rebus trepidis ſolet, feſtinando, agitando omnia, ſibi ſuisque diffidebat. Iuſſus Hiſpanicus miles, uti ad latus Brabanticum infra aggerem opportuna loca obſideret, violentiam hoſtium virtute pulſaret, atque, ſicut res & tempus monebat, patriam armis ſuis tegeret, defenderetque. Neque detrectavit miles in audaciam exercitatus, quò antea ſeditione contumacior, eò nunc obſequio promptior. Neque aqua, neque cœnum, quîs ſtationem habere cogebantur, tardavere impetum. Atque adeo continuis fiſtularum exploſionibus Zelandos ſupra modum fatigarunt, etſi & illi ancipiti malo ſe ſuaque fortiſſime tutarentur, hoſtilibuſque globorum ictibus reſpon-

dere parati, intentique essent. Boysottus interea Justo Morio, & Martino Drogio centurionibus imperavit, uti, quantum pericula glisceban t, in tantum virtutem atque robur intenderent, quò præter hostium munimenta duas jam ante occupatas naveis, quarum una Propræfectus classis Hamstedius attinebatur, Vlissingam deducerent. Cæterum ea res inprimis ardua, cum Ordammum sclopetariis infestum, majoribusque machinis probe instructum terrorem ingentem incuteret. Dum enim adversante vento contra fluctus eniti, & obliquare cursus necesse erat, certis undique machinarum ictibus admodum naves quassabantur. Unius, cui præerat Justus Morius, vela juxta corbem lacerata præcipiti se involverunt ruina, malus antennæque gemebant, æreum tormentum, quod superiori parte positum fuerat, incredibili violentia concussum, mutilatumque. Cæterum nullibi plus potest audacia, quam cum ad defendendum minora sunt subsidia. Ipse per igneis, densosque globorum procellas evasit, erupit. Altera tamen navis ita dedolata, uti rimis fatiscens jam aquas exciperet, ventoque secundo ad Boysotti classem se recipere cogeretur. Deliberatum, an perforare navem, vel igni subjicere satius tutiusque esset, cum nulla evadendi spes reliqua videretur. Non diu consulto sed festinato opus erat, antequam vicino aggeri tormenta imponerentur, queîs eo in loco contundere nostram classem, usque ad extremam perniciem proclive erat. Consilii hæc sententia sedit, ut junctis bellicis navibus, continuis machinarum verberibus munimentum quaterent, navis devicta pone sequeretur, atque ita occasionem evadendi raperet. Consilium hoc prospere cessit, &

quan-

quanquam etiam ipsi fortunæ violentiam tolerarent, tamen id tandem peractum, ut horribili & continuo tormentorum fragore cuncta dissilirent, ruptisque imis compagibus cælum & terra misceri viderentur, lorica mænium præceps rueret. Tantæ veluti furię atque intemperię classiarios nostros agitabant, ut hostis lorica nudatus ex vallo ad interiora abigeretur. Ita devicta jam ante navis bellica cum minore Britannica, postquam cuncta sibi prona videret, sub præsidio classis nostrę iter suum expedivit. Requesenius cladem hanc non tam Zelandorum egregię virtuti, quam militarium quorundam à sua parte ducum perfidię, conspirationiq; imputabat. Neque suspicio deerat iis, qui vinci crimen censebant, Hamstedium ipsum tanti criminis reum esse. Jamque adeo, ut in reis læsę majestatis fieri consuevit, facultates ejus annotatę: cæterum integrum fidei scelerisque purum fuisse compertum, socordiæ tamen & negligentię probro vacare visus non fuit. Ipse post diuturnam captivitatem, Zirizea demum occupata certis conditionibus libertati restitutus est.

CAPUT XX.

EXPEDITIO NAVALIS LIBERANDÆ OBSIDIONI VRBIS LVGDVNI BATAVORVM, CVM AB HISPANIS VNDIQVE PREMERETVR, ANNO CIↃ IↃ LXXIV.

LUGDUNUM Batavorum duobus & sexaginta castellis erectis arcta obsidione Hispanus premebat. Exercitus erat

erat inſtar undecim millium, Præfectus militiæ Valdeſius. Summa quidem ope nitebatur Auriacus obſeſſis ſuppetias ferre, ſed incertus conſilii nulla ſpe reliqua huc atque illuc fluctuabat. Tandem Oceanum ipſum in partes vocare Patribus viſum, magis uti obſeſſis animum adderent, & ne nihil agendo tempus ſocordia atterere viderentur, quam ut ſpes ulla liberandæ urbis reliqua eſſet. Moſæ atque Iſelæ perforatis aggeribus, apertisque cataractis, turgidum maris elementum in campos admiſſum, quò ſubmerſi agri planis navigiis inſolitam viam præberent. Omne privatum damnum libertate potius cenſebatur, atq; Fortunæ leges ponere invicti animi indicium erat. Jactura autem ſeptingentis florenorum millibus cenſebatur. Claſſis centum & ſexaginta navium in expedito erat, quîs præerat Ludovicus Boyſottus ingens animo, militiæ impiger, diſciplina & autoritate inter ſuos rigidus, quæ ubi paullum vacillavit, cuncta apud militarem & nauticam pubem nutant. Majora navigia denſa aſſerum compage conſtructa, retibus compactis, hoſtium jacula comprimere quibant, inter quæ ex duabus junctis navibus moles lignea fabricata, quæ neque velo, neque remis movebatur, ſed rotis interius à duodecim nautis circumactis per aquas vectabatur. Plures triremium inſtar carinis planis remis decem, duodecim, & pluribus agitabantur. Navales ſocii ex Zelandia ad octingentos erant, animo præferoces, vultu truces, multi vulneribus & cicatricibus nobiles, nonnulli brachio vel crure mutili, conjurati vel vincere, vel pulchræ occumbere morti. Quidam ex argento laminas pileis inſertas geſtabant, quîs inſcriptum, POTIUS TURCAE QUAM PONTIFICI. Illi aquis innutriti

nutriti ferociam quoque ex mari contraxerant, atq; Hiſpanici nominis infeſti hoſtes bellis inteſtinis inter cædes, & rapinas juventutem ſuam exercuerant. Animus vaſtus, vindictâ ardens, audax, corpus, ſupra quam credibile erat, laborum patiens, velox, cedere neſcium. His promptiſſimi quique milites immixti, ſclopetis cincti, ad mille ducentos. Naves maximæ tormentum majus unum aut alterum admittebant in prora, ſex minora (baſſas vocant) in lateribus. Æreę ferreæq; machinæ in univerſum centum erant, præter multiplices bombardas, ex queîs nonnullæ plurimos ſimul globos ejectabant, certa hoſtium pernicie, nec minori metu. Iuxta erant conti, harpagones, dimidiatæ haſtę, cæteraque inſtrumenta, quibus cominus pugnatur. Ad undecimum Septembris Rota amne ad aggerem limitaneum vectis, eodem perfoſſo ad pagum Zoetermeram, ubi ſtationem tenebat Martinus Aiala, non léves cum Hiſpano incidere velitationes. Batavi, quique acrius cælo ſuo animantur, Mattiaci, feſtinare, periculo occurrere, alius alium hortari, ſalutem in armis ponere, nulli parcere, ipſi advorſis vulneribus mortem contemnere, ſi occumberent, etiam vindictam adhuc in vultu oſtentare. Tanto autem odio flagrabant Hiſpanici nominis, ut cor intimis evulſum penetralibus dentibus primo morſum, dein ut amarum canibus projectum fuerit. Quod tamen exceptum, Delphosq; delatum, complnribus, vel abominatione tantæ crudelitatis, vel in ludibrium & opprobrium Hiſpanorum, oſtentui fuit; manifeſto indicio, quo non ſe præcipitem agat mortalium animus, ubi odium & vindictæ dira cupido eos in tranſvorſum rapuit. Neque poſtmodum minus acriter ad

pontem Soetermeræ pugnatum, & quanquam Noſtri ſummo opere hoſtem fatigarent, tamen neque illi animo frangebantur, ſed virtutis gloriæque maximum utrimque certamen erat. Triginta ſigna Hiſpanorum ſub Ludovico Pimentello ſedem ibi fixerant, neque ullo etſi valido & feroci inſultu inde turbari poterant. Cum hic Fortuna ex voto non cederet, atque una ex majoribus navibus violenta tormentorum exploſione diſrupta eſſet, alia via eniti viſum fuit. Neque ventus commodus aquas ciebat, quæ & ipſę arte hoſtili à latere in avia derivabantur, adeo ut intumeſcere vaſta illa agrorum planicies aquis procul diſtantibus nequiret. Segwartenſi itaque via, ad duodecimum ſequentesque dies Septembris cauro aquas promovente, fœliciter tranſitus tentatus. Soetermerâ atque Benthusâ fugato milite, ad modicum lacum, qui Norta dicitur, ventum. Poſt acres illic velitationes à meridie uſque ad ſerum diei, miles hoſtilis opportuno loco ceſſit, ubi noſtras copias ſiſtere in proclivi erat, Fœderatis autem ſuperare arduum aſperumque fuiſſet. Interea miſerabilis fames in Urbe gliſcebat, ita ut abſumptis naturalibus alimentis ad fœda & inaudita ſe vorteret neceſſitas. In pampinis vitium, arborumque, præcipue pyrorum foliis, amylo & ſale condiendis, ingenioſa erat penuria. Canes, feles, glires in deliciis erant: oſſa è fimetis protracta, jam ante à canibus roſa iterum rodebantur: coagulatus ſanguis ex fœtidis canalibus hauriebatur: gravidis in utero fœtus liqueſcebat, puerperis infantes ad exucca ubera moriebantur. Corpus itaque multorum macie confectum, nutantibus genibus ægre admodum ſuſtentabatur, pallor in ore, cava lumina, diſſutæ genæ.

Neque

Neque fames, quam peſtilentia triſtior, quæ ſex millia hominum ſubito in Libitinæ numerum recepit. Adeò quidem, ut dimidia fere pars civium (quatuordecim enim millia numerabantur) ferali fato occubuerint. Diſcordia quoque intus, extra hoſtium promiſſa minis conjuncta, miſerum in modum civitatem vexabant. Quibuſdam deditionem acrius poſcentibus, quod fame & peſte tot millia hominum occubuiſſent, cordate reſpondit Petrus Adrianus Wervius Conſul, ſe ſacramento Deo Patriæque obſtrictum; ſi ita viſum, corpus in partes ſecarent, diſtribuerent: mortem omnibus à naturæ lege ſemel indictam, nullum diſcrimen fore an hoſtes, an cives illam ſibi intentarent. Quâ conſtantia rubore cuncti ſuffuſi receſſêre. Nimirum exemplum ſapientis magiſtratus arcano motu trahit, rapit ad obſequium ſubditorum animos, inprimis ubi eadem mala & bona ſimul ipſis eſſe intellexêre. Queîs accenſi cives, objectantibus hoſtibus nihil præ fame eos reliqui habere præter miſeram animam, glorioſe reſponderunt, conſumptis omnibus alimentis ſiniſtram manum in cibum, dextram in uſum Patriæ fore. Quod ſi extrema moriendi incumbat neceſſitas, incensâ Urbe, dimicando pro libertate, pro religione, Deo immortali vitam lubentes oblaturos eſſe. Interea tamen aquæ deerant, quę vix novem pollices altæ, imo flante aquilone retrò fluere, & res ſublapſa referri. Fluctuantibus conſiliis conſultum viſum, templarem viam perfodere, &, ni æſtuante Oceano aquæ creſcerent, triginta vel quadraginta navibus tranſmiſſis, obſeſſis ſuppetias ferre. Cæterum violento cauro aſperum mare & pleno lunæ orbe exæſtuans, undas magno impetu campis infudit aper-

tis, & ingenti miraculo aquilone iterum concitata æquora Lugdunum versus rapiebat. Jamque adeo ad viginti octo pollices increverant aquæ, cum secundo Octobris Boysottus intempestâ nocte templarem viam adoritur, & quamvis hostis ad tempus resisteret, atque excussis globis feralibus ignibus nox illucesceret, stetit tamen hostium flammarumque contemptor, donec vinceret. Nihil est quod non expugnet pertinax fortitudo, & virtus imperterrita. Victor itaque munito loco murices passim sparsit, ut illorum aculeis pedes hostium premerentur, si invadere iterum tentarent. Tribus admodum locis perforatis, centum frumentarię naves immissæ, atque ubi vada cursum sistebant, etiam humeris ab exilientibus nautis vectæ. Interea qui circa pagum Souterwoudam præsidia tenebant, partim igne vicino incensarum ædium, quammaxime autem subito aquarum incremento territi receptui se dederunt, atque inter eos Valdesius militię Imperator, quem Alphonsus Lopezius sequebatur. Inter postremos fugientes (serius enim fuga animadversa fuit) plures aquis incilibusque hausti, alii vel ferro, vel contis interfecti ingloriam mortem obibant. Facies totius negotii fœda, miserabilis, dispersi à suis nullos ordines observare, aquæ, tela, harpagones, hostes undique premebant, & si qui evaderent, insolentia loci, aquarumque retinebantur, ita ut varia & dubia mors illis incumberet. Memorabile hic eluxit Petri Ciacconii Borgiæ subcenturionis facinus, qui unco à nostratibus attractus, sauciusq; pro mortuo in cymbam conjectus, dū cęteri expiscandis aliis se inclinant, à tergo securi arrepta tres confecit, reliqui perculsi in aquas desiliunt, ille victor cū spoliis & cymba

ad suos

ad ſuos revortitur. Interea & cives calamitatibus miſere afflicti, & fœderati in ſuperando caſtello munitiſſimo, quod Lammum appellabatur, ſummopere angebantur, & more mortalis ingenii, ubi metus ſpe potior eſt, adverſa ex adverſis penſabant. Verum hoſtis omnis intempeſta nocte ceſſerat. Et (mirum dictu) mœnium urbis ſubita ruina prope vaccariam portam, eruptionisque imago hoſtem quoque terruit, decepitque. Tardius, indicante primum puero, hoc creditum ab iis, quibus mala abunde omnia erant, ſed neq; res neque ſpes bona ulla. Ita Urbs liberata, quę cum extrema inopia, mortalitate, diſſidiis intus luctata, extra tamen fortiſſime hoſti reſtitit. Et ſummo miraculo, aquas, quæ ſe in campos late effuderant, quaſi perfecto opere iterum in mare Oceanum advorſa tempeſtas agitavit. Dum ita nobilis extorta fuit victoria, eadem tempeſtate in Hollandia boreali Hiſpanis aquarum inſolentibus ab indigenis magna incubuit calamitas, quippe locorum gnari cymbis ubiq; iis inſultabant, ita ut Præfectus Chevreauxius ad duo millia militum, vel ferro vel aquis perdiderit, ducenti & quinquaginta capti, Hornamque delati in carcerem compacti fuerint.

CAPUT XXI.

DE CLASSE HISPANICA PROFLIGATA, VEL TEMPESTATE PERDITA,

ANNO CIↃ IↃ LXXXVIII.

CUM immenſa Hiſpanorum claſſis, quæ centum & quadraginta quinque non navibus, ſed maris veluti

caſtellis conſtabat, quarum alię octingentos, alię millenos, tormenta autem quadraginta vel quinquaginta vectabant, cum ipſo horrore Oceani Britanniæ regno immineret, Batavi quoque glorioſe partes ſuas tutati ſunt. Vicere quidem aliquotiens Angli, vicit quoque fœda tempeſtas, ſed non minor victoria Parmenſem claſſem, quę jungere ſuas vires Hiſpanicæ tentabat, propriis clauſiſſe portibus. Cæterum, ut hanc expeditionem longius repetam, exiſtimabat Hiſpanus Britanniam occupatu haud difficilem, cum & potentiores ex nobilitate Romanę religioni faverent, & res novas quærerent, quę Bernardinus Mendoſa, qui nomine Regis non tam legatum quam ſpeculatorem per aliquot annos illic egerat, in majus augebat. Anglia occupata, Scotiam Daniamque, imo Galliam diſſidiis fluctuantem, Belgii ſervitutem, dein totius Europę imperium ambitioſus Regis animus meditabatur. Et Pontifex Romanus (erat is Sixtus nomine,) quod quondam, cum Romanis cæremoniis imbuta eſſet, Anglia fuiſſet illi Sacerdotio tributaria, tanquam vacuam occupanti expoſuerat, indigenis ſacramenti religionem, qua Reginę tenebantur, remiſerat, etiam in necem Eliſabethę homines nefarios & facinoribus coöpertos præmio illexerat. Magnis itaque impenſis nobilem claſſem, quâ tanquam alter Xerxes maria tegeret, per quadriennium conſtrui Rex curaverat. Per omneis Hiſpanię Regis ditiones coactus miles ad viginti millia hominum, nautica pubes ad duodecim millia ex variis gentibus cöempta, commeatus ſemeſtris, pecunię ſtipatę ingens vis, & tormenta vicies quinquies centena vectabantur. Claſſi præerat Alphonſus Pereſius Guſmannus, Medinæſidonię Dux, dignitate

gnitate familiæ illuſtris, opibus potens, cæterum artium maritimarum rudis, atque adeò inconſultus. Sequebantur quoque proprio ære militiam complures homines nobiles, tanta victorię fiducia elati, uti honores, fundos, regias opes inter ſe diviſiſſent, antequam victores eſſent. Acceſſerant & laquei, uti ex devictis navibus poſtmodum compertum, aliaque necis crudelia inſtrumenta, queis vel gulam adverſantibus, inprimis aliter de religione ſentientibus frangerent, vel alio modo mortem approperarent. Nonnulli impatientes victoriam, uti rebantur, tardari, ad Tameſin ſtatim exponendum militem, regiam Urbem Londinum occupandum cenſebant, alii Batavicum portum (Marchionis Sancticrucii & Parmenſis ſalubre illud conſilium, verum improbatum fuerat) præripiendum judicabant. Immanis illa claſſis, terror Oceani, quę malis tanquam editis turribus, levatisque tabulatis inſtar propugnaculorum eminebat, cum vere adulto Olyſſipone ſolviſſet, in Gallæciæ portum abrepta, partim fœda tempeſtate concita, partim remigum, qui libertatem affectabant, perfidia, treis naves ad Galliæ litora alliſit. Parmenſi ingentes erant militum copiæ in procinctu, (namque ad triginta millia numerabantur) foſſaſque idem duxerat, queis præſidiarius miles in maritima oppida commodè transferri poſſet. Aderant eidem viginti & octo præſidiariæ naves, quadringentæ planis carinis, ne incertis vadis litorum alliderentur. Regina, quæ fallaci pacis nomine circumveniebatur, anguſtias freti, Britanniamque peti non credula, tandem tumultuariis militum cohortibus obſideri litora, quâ exſcenſus Hiſpanorum opportunus videbatur, imperavit. Minoribus navigiis

giis, quæ ipso in freto vel propter Tamesis ostium usui esse possent, Seimorum præfecit, centum alias in statione Pleimuthæ hostium insultus opperiri jussit, queîs præfectus Carolus Howardus, secunda Francisco Draco potestas, qui totum terrarum orbem maritimis navigationibus lustraverat, obtigerat. Cæterum Reginę iterum jussu ingenti socordia præcipuis navium exarmatis, quod subdolis nuntiis decepta nondum venturam classem crederet, illa subito adventante, magna cunctos incessit consternatio, consilia in incerto fluctuabant, vix coäctus miles, qui licentius vagabatur. Natà tum erat occasio debellandi Britanniam, nisi Præfectus obtendisset, se mandato Regio stringi, non prius expeditionem moliri, antequam Parmensis suas junxisset copias. Ât illum Dunquercæ inclusum Batavus premebat, omneisque exitus obsidebat, neq; Hispanica classis mole suâ laborans Flandricum littus, syrtibus & cęco arenarum horridum, attingere quibat. Non procul à Pleimutha Franciscus Dracus modicis viribus experiri pelagi Fortunam ausus, mobilitate suarum navium immensas hostium moles, quæ pigro incessu mare secabant, supra modum fatigabat. Junctim quoque lunatam in speciem classis procedebat, ideoque certiora vulnera, vel pericula, ne sibi invicem colliderentur. Quod & proprætorię contigit, quæ impacta aliis arbore mutila rapinæ opportuna fuit. Provecta itaque classis (ut hæc breviter perstringam, quæ virtuti Anglorum debentur) post variam Fortunam proprætoria nave à Francisco Draco expugnata, Cantabrica incensa à proprio jaculatore, & deinde calendis Augusti inter Britannos & Hispanos acri admodum conflicto prælio, quo continuis octo horis mare ignibus &

bus & fumo obductum erat, globis tormentorum instar grandinis volitantibus, unâ Hispanicarum rimis fatiscente & Caleti litoribus allisâ) dein, quantum altitudo navium permittebat, circa Caletum in anchoris stetit. Omnis jam labor in eo vortebatur, ut dux Medinæsidonię, qui summum in classem, etsi maritimæ militiæ rudis, imperium tenebat, cum Parmensi vires jungeret. Patres non vano metu perculsi sub præfecturâ Justini Nassovii ingentibus impensis classem in procinctu per totum annum habuerunt, semper illis locis imminentem, quîs hostiles naves constiterant, ne qua parte in Oceanum erumperent. Medina nuncios ad Parmensem mittere, se gravi necessitate circumventum, expeditionem frustra fore, nisi properaret copias jungere; contra Parmensis, neque suppetias satis expeditas, atque adeo Duinkercæ portum Hollandica classe constringi. Interea ille, sicut consilii inopes solent, templa circumcursare, cælites passim precibus fatigare, nihil pensi habere. Neque vero Britanni occasionem intermittere, verum ad hostilem vim pulsandam omnia tentare. Nocte itaque intempesta, vento & æstu secundo, octo incendiariis navibus immissis, tormentis, pulvere, ferro & lapidibus refertis, tanta hostem incessit consternatio, ut subito consilii expertes anchorarios funes præciderent. Hinc ad decem horas ita pugnatum acriter, ut plures hostiles naves laceratę, submersęque fuerint, una maximarum (galeonem vocant) quę octingentos homines vectabat, alteraque Cantabrica, rimis fatiscentes, & fluctibus Wilingam versus actę; quarum una à Vlissinganis, cum præfectus Fredericus Toletanus reliquique primores scapha se recepissent, non

difficulter ſuperata, altera, cui præerat Pimentellus, cum diu contra extrema Fortunæ ſe defendiſſet, tandem Petri Douſæ maſculę virtuti ceſſit, qui & vexillum inuſitatæ magnitudinis in templo Lugduni Batavorum ſuſpendit. Naveis, exemptis iis quę uſui eſſe poſſent, urgentibus aquis Oceanus depreſſit. Plurimi interfecti, vulnerati gratis Antverpiam miſſi. Nonnulli quoque illuſtris dignationis in Hollandiam abducti: inter quos primi Didacus Pimentellus, Marchionis Taverani frater, Didacus Velaſcius, Alphonſus Vargas, Marchio Ulyſſiponenſis, pluresque alii præcipuæ inter populares nobilitatis. Superata hoſtium navis, vino cæteroq; commeatu onuſta, cum ſociis admodum navalibus xxv, qui vino graves ſentinam ingenti ſocordia haurire obliti fuerant, aquis obruta. Alia quoque actuaria vaſtæ molis (galeaſſam appellant) cui præerat Hugo Moncada, ſub idem tempus (nonnulli tamen antevortunt) alterius navigii rudentibus implicita, gubernaculo excuſſo, vento æſtuque violento vado Gallici litoris impulſa, Duce pluribuſque aliis, qui fortiſſime navem tutabantur, cæſis, tandem Britannis ceſſit. Quinquagies mille ducatorum præda, remiges trecenti in libertatem aſſerti, claſſiarios quadringentos infeſtum pelagus abſorbuit: pauci admodum feſſa jactantes ſalo brachia evaſerunt, primi in Hiſpania tantæ calamitatis nuncii. Anglis ad tormenti ictum inſequentibus, fœda ſtrages Hiſpanis incubuiſſet, niſi pulveris pyrii penuria conſilia impediviſſet. Tanta eâ tempeſtate formido Medinæ cæterorumque Præfectorum animos concuſſerat, ut, fœdum dictu, de tradenda claſſe & vita paciſcenda agitaverint. Sed avorſis neceſſitate Britannis

ſpes

ſpes nova gliſcebat claſſem cum Parmenſe jungendi. Neque vero Parmenſis ullam operam intermittere, militem ſuum, ut in Hollandorum claſſem irrueret, & loco moveret, compellere, poſtremo ferocius agitare, quam ſolitus erat. Quippe nonnullos centurionum propriâ manu confoſſos fuiſſe, qui mare aperiri non poſſe affirmaverant, rumor ſparſerat. Tandem tum præmiis, tum minis lectiſſimi mille jaculatores conditionem accepêre, quorum animus pulſandę claſſis hoſtilis victoriæque cupidine æſtuabat, facinuſque egregium ſuper virilem audaciam commiſêre, dum ferro viam aperire tentabant. Et quidem ingenti impetu Noſtros adorti non levia damna inflixerant, ad extremum tamen miſere omnes fere trucidati ſunt. Hinc Medinæ Dux animo dejectus ſpem omnem jungendarum virium deponere, conſiliis fluctuare, timide & ignave omnia adminiſtrare, denique neque famę parcere, neque quicquam conſulti habere. Re itaq; deſperata (cum retro anguſtię freti obſeſſę eſſent) Hiberniam & Orcades circum, quà indomitus & procellis infamis debacchatur Oceanus, neque ſine periculo navigatur, in Hiſpaniam revorti in animum induxit ſuum. Placidus primum ventus naveis mole ſua laborantes & laceras ægre promovebat. Tertio demum Septembris die fœda admodum tempeſtas mare exaſperavit, atque ita claſſem disjecit, uti intra eundem menſem triginta duæ naves vel mari hauſtę, vel ab Hibernis ſuperatę fuerint. Ad decem millia hominum perierunt. Aliæ in Norvegiam actę, quædam quò pertigerint, ne fama quidem vulgavit. Unam tantum bellicam cum xxx onerariis incolumes in Hiſpaniæ portum Medina deduxit. Lætus hic & feſtivus

dies Britannis Bataviſq;,eò lætior,quod nulla alicujus pretii navis eorum deſiderata,centum viri tantum cecidiſſent; concurſare omnis ordinis homines, Proceres omnia lætitię ſigna edere, quîs plebs captari ſolet, imprimis autem Deo immortali ſupplicationes decernere. Contra apud Hiſpanos ingens conſternatio, alii fortunam Regis, alii patrem, vel fratrem, vel maritum, vel neceſſarium & propinquum deplorare, adeò ut luctus tempora Rex contraxerit, uti magnitudo damni, quæ omneis ferme nobiles domos funeſtaverat, oculis ſubtraheretur. Complures domum reverſos, vel ex maris jactatione languor, vel formido, ne more dominantium fortuna culpę imputaretur, confecit. In Parmenſem torta tantę cladis invidia, uti ſuam ignominiam, notis in aula artibus, criminationibus apud Regem magnates Hiſpanię diluerent.

CAPUT XXII.

DE EXPEDITIONE BRITANNICA HISPANIAM VERSUS, QUIBUS JUNCTÆ XXIV FOEDERATORUM NAVES, Anno cIↃ IↃ XCVI.

Cum de novo apparatu claſſis Hiſpanicæ rumores iterum ſererentur, quanquam nuntio vaneſcente, conſtituit tamen Regina claſſe Hiſpanias ipſas invadere, atque in propriis hoſtium viſceribus bellum & fortunam experiri. Autor tanti facinoris erat Robertus Eſſexiæ Comes, magni excelſique animi, immodica & vaſta cupiens, potens

tens opibus, plurimę apud Reginam auctoritatis. Ipſe nullis impenſis parcere, complures nobiles ad eoſdem ſumptus impellere, hortari, feſtinare, nullis laboribus fatigari. Carolus interim Houwartus maris apud Britannos præfectus, qui conſiliis illius multum advorſabatur, cum Caleto victo in propinquo hoſtis eſſet, neceſſaria claſſis tarde ſuppeditare, moram nectere, trahendoque negotio nihil omittere. Atque adeò Regina mox aliena à periculoſa expeditione, cum jam claſſis Pleimuthi in procinctu eſſet, ſerio per literas Eſſexium monuit, ut eam intermitteret, ſe ſumptus reſtituturam. Ille, ſi Regina juberet, obtemperaturum, ſin ſecus, expeditioni non defuturum reſpondit. Claſſis conſtabat ex centum & L navigiis, quorum quatuor & viginti Fœderati miſerant, octodecim nimirum bellica, ſex quæ commeatum vectabant, ſub præfectura Ioannis Duvenvordii, Warmondæ domini. Pleraque Eſſexius ſuo & propinquorum ære armaverat. Quæ quidem expeditio ut propria Britannorum fuit, ita neque minor Batavorum eluxit gloria. Pridie calendas Julias ante portum Gaditanum in anchoris claſſis ſtetit. Bellicę Regis naves una & viginti eadem in ſtatione morabantur, onerariæ totidem machinis vicenis: galeones quatuor vaſtiſſimæ magnitudinis à ſanctis nomen acceperant, hæ tormenta ærea quatuor & quinquaginta, homines ſeptingentos ſingulæ vectabant. Duæ Epidaurię naves, tres Fregattę ad inſtruendam claſſem Olyſſiponenſem tormentis onuſtæ. Namque Olyſſipone aliiſque in portibus & alię expediebantur: & tertia duntaxat pars maritimarum in Hiſpania virium hæc cenſebatur. Deſtinata quoque Americano itineri regia claſſis

ventum opperiebatur. Præter onerarias privatorum quinquaginta leviter inſtructas, ſub mænibus urbis viginti quoque & duæ longæ naves defenſandis civibus, prohibendoque hoſti conſtiterant, quę primo veſpere cum Britannis pugnam occeperant, verum præ formidine in ſtationem ſe recepêre. Summopere flagrabat Eſſexius, (idemque urgebant Batavi) noctem, quę inſtabat, antecapere, conſternatos opprimere, ne quid compoſitis iterum animis & conſiliis & viribus novaretur. At Houwardus vel ſtudio partium (namque inter æmulos rara concordia) vel quod Regina vetuerat, regias naves, mari ventis turgido, anguſtiis pelagi, queîs aquę ferocius compreſſæ contra infida navigantibus vada maxime ſubſultant, exponere verebatur. Kal. Quintilibus claſſis Hiſpanica prima luce Portum Regalem petit, relictis interius in ſinu Gaditano quatuor verſus Punctale galeonibus, qui locus non procul ab urbe, ubi mercatorię naves ſaburram exponere ſolitę, eminebat. Longis navibus quę ad urbem relictę, levioribus ingenti impetu horrorem incuſſerat Verius equitum Magiſter. Namque per integram horam fortiter dimicando compages illarum ita perruperat, ut quinis laceratis vel corruptis, reliquę ægre ſe pone galeones reciperent. Quîs dum hebeſcere virtus ceperat, Eſſexius nihil reliqui pene victis facere in animum induxerat ſuum, & vincla minacia tranſtris galeonum injicere tentaverat, ſed adverſo maris receſſu impediebatur. Jactis tamen anchoris, per quatuor continuas horas utrinque tormentorum fragore cœlum & maria miſceri, donec æſtus creſcens in miniſterium altiores aquas ſuppeditaret: una ex Hollandicis navibus, cui Delphinis

phinis insigne erat, cum Præfecto Gulielmo Henrici, & plerisque nauticę pubis, proprio igne correpta, in sublime abripiebatur: passim capita, trunci artus horrendo in altum ferebantur spectaculo. Immensum hinc gaudium oppidanorum mentem excitam agitabat, spiritumq; erigebat. Verum dubiam & irritam spem, qua afflictorum animi sustentabantur, subito violentia fregit. Ubi enim mare æstu intumuerat, anchoræq; sublatę forent, tantus repente horror hostium pectora concussit, ut non expectando pugnam galeones in vada impingerent, in cymbas frequentes se conjicerent, nonnulli natando vel evaderent, vel mari absorberentur. Essexius confestim minores aliquot naves & pinassas immiserat, prohibituras, ne suis navibus ultro ignem hostis injiceret, qui calamitatem suam, modo inimici præda non potirentur, in lucro reputabat. Verum incenso pulvere pyrio galeo, cui S. Philippi nomen, horrendo admodum ictu dissiluit, adeò quidem ut malus cum corbe instar rapidissimi teli in suprema aëris raperetur. Tam acri impetu cunctæ circa naves subsultare, & compages dissilire videbantur: verum una tantum ex Britannica classe pinassa igne periit, homines evasêre. Hostilem S. Thomæ navim flammarum quoque violentia postmodum absumpsit. Ita turbatis rebus & tumultu fluctuantibus, Hollandi Zelandique ingenti virtute Punctale munimentum occupant, vexillumque archithalassi Warmondii figunt. Ne oppidani Nostros afflictarent, imperatum, uti confestim pons, qui urbem modico æstuario à litore divulsam Hispaniæ jungit, abrumperetur. Magna omnium consternatione, dum sexcenti equites ex nobilitate Xeritana, totidemq;

pedites,

pedites, ad defenſandam urbem concurrunt, à Ludovco Naſſovio & juxta quadringentis haſtatis haud difficulter pulſi, vel intra portas urbis fugiendo ſe receperunt, vel in vicinum enixi propugnaculum, quod juſſu Regis inchoatum, & nondum conſummatum erat, viam ingrediundi oppidum monſtrarunt. Urbs non difficulter capta paucis reſiſtentibus, niſi quod ex planis ædium cives Gaditani, pondera ſaxorum, lapides, volverent. Reliqui in arcem aufugerant, ſed ſpe auxiliorum ſublatâ, deditionem maturarunt, & centum & viginti millibus ducatorum incolumitatem pepigerunt. Obſides in Britanniam avecti, vel quod Regina gravius irritata redemptionem detrectaret, vel quod Rex Hiſpanię à propinquis & neceſſariis quenquam redimi prohibuiſſet, in cuſtodia perierunt. Direpta urbe & arce, in qua armamentarium Regis erat, & omnis generis navalis apparatus, opulentiſſimam Indicam claſſem, quæ centies centenis ducatorum millibus æſtimabatur, invadere conſtituerat Eſſexius: atq; adeo nobile & illuſtre facinus patratum fuiſſet, niſi temporis mora conſilium diremiſſet. Adnitebatur Petrus Herrera cenſor militaris, pluresque mercatores, fortunas ſuas duobus ducatorum millionibus redimere. Atque adeò Comes ſecum animo reputabat, providi ducis eſſe certa pro incertis arripere, nihil tam capax fortuitorum quam mare, fluctuare potiſsimum cum aquis incertam præliorum fortunam, avidum prædæ militem & victorem nulla autoritate ab opulentis ſpoliis arceri poſſe, quîs illorum animi potiſsimum accenduntur. Pactio ita inſtituta, uti Regiæ naves conditionibus eximerentur. Dum ita cunctando tempus trahitur, juſſu Medinæ ducis opulentiſsima

claſsis

classis triginta quinque navium incenditur. Vastum illud incendium igneis latissime fudit, flammarumque vorticem fumo immixtum nubibus inseruit, gemebant mali & antennæ, atq; nutante lapsu præcipites jactabantur, transtra & carinæ cum opibus immensis crepitabant, stridebant aquę, & cum ignibus colluctabantur. Invisum hoc fuit mercatoribus facinus, sed Medinę dux jussu regio divitias tantas, tertiamque partem maritimarum Regis virium subjicere ignibus maluit, quam hosti tradere. Galeones per pontem excisis columnis evaserunt. Consultatum dein, an urbem, ex qua visceribus admodum Hispaniæ ultima intentari poterat pernicies, retineri, an deseri è re esset. Inclinabat eò Comes Essexius cum Magistro equitum Verio, & voluntaria nobilitate, quatuor militum millibus illic sedem figere. Hollandiæ quoque archithalassus militiæ impiger talem stationem non deserendam censebat, quæ opportunissima esset hosti in propria regione debellando, spem magnam dominationis in manu esse, non debere per ignaviam aut socordiam bonam fortunam atteri, Regem foras potentem, domi imbellem esse, gentes illas armis non assuetas, animos molles, & fluxos, & jam fama fere bellum confectum esse. Quamquam autem summo opere maximum pulcherrimumq; facinus incipere autor esset Essexius, & jam commeatum urbi inferre tentaret, Houwardus tamen, Præfectus classis, qui semper illius consiliis advorsus fuerat, multum refragabatur, neque jussisse Reginam, atque ob dubia tempestatum annonæ militaris difficultatem obtendens. Cæterum neque Warmondius audiebatur, qui menstrua alimenta pollicitabatur, posse interea ex Italia, vel

Britannia, prout ventus incidiſſet, commeatum peti, neque Mauros, queîs continua cum Hiſpanis bella, denegaturos. Gadibus itaq; dilapſa claſſis, Pharo urbe ab Hollandis incenſâ, cum Olyſſiponem, Bajonam, Coronam, alioſque Hiſpaniæ portus impetere, naveſque diripere vel corrumpere pro clive eſſet, urgeretque Eſſexius, (quo & vota Belgarum abibant) quamdiu alimenta ſuppeterent, Hiſpanicam claſſem, quæ ex Indiâ ſeptuagies centena ducatorum millia advectabat, juxta Azores, ſive Flandricas inſulas, exſpectandam eſſe, & prævorſis celeritate famæ nuntiis auxiliiſque, facile intercipi poſſe: verum iterum contra tendebat Houwardus, atque inviſa æmulatione omnia præclara Eſſexii conſilia ſupprimebat. Propere itaque relicto Eſſexio, qui per horas xx & iv ſolus in mari Oceano agitabatur, domum contendit. Sed Warmondius vago per maria curſu tandem illum invenit, & Pleimuthum uſque comitatus ingentes à Regina accepit gratias. Namque eadem officioſis admodum literis Warmondæ Domino Hollandiæ archithalaſſo retulit, ſe ex claſſis Præfectis intellexiſſe, auguſtiſſimam victoriam magna ex parte virtuti, ſolertiæ & induſtriæ illius, Belgarumque tribuendam, ſe multis magniſque tempeſtatibus fideles ſocios expertam; jamque antea Procerum in auxiliis ſuppeditandis alacritatem & liberalitatem ſenſiſſe, qui conficiundæ tali expeditioni immenſos ſumptus toleraverant, nunc vero ſubditorum tam prolixam fuiſſe voluntatem, uti pro Regina nullis laboribus, atque adeo ne quidem ipſi vitæ pepercerint. Ingentes quoque gratias agere Præfecto claſſis Batavicæ, quod prætoriâ navi ſolum reliquiſque deſtitutum Eſſexium per maria fluctuantem, cum curſum flecten-

flectendo illum tandem repperiſſet, incolumem portui reſtituiſſet. Tantorum beneficiorum opportuno tempore non immemorem fore. Sub finem anni nonageſimi ſexti Hiſpanus, qui concoquere Gaditanam injuriam nequibat, indignationis impotens, navibus centum octo & viginti, militum quatuordecim millibus, claſſiariorum ingenti copia, inter quos complures Belgæ ad ſacramentum militare coācti, inſtructam claſſem ſub Martino Padilla mari iterum immittit. Menſis erat November, fœdis ut plurimum tempeſtatibus hyemans, quo tempore turbidum & vorticoſum mare non impune tentatur. Verum tantus fervor erat novi patrandi facinoris, uti æſtatem opperiri nimis quam longum videretur. Fama erat Cornubiam Angliæ provinciam peti, quo Hibernis, qui ſacra Romana ſequebantur, ſuppetias ferrent, & ſimul junctis viribus in Britannia rerum potirentur. Alios metus inceſſebat, ne naveis, quæ modica mole profundum non fatigabant, portibus Belgicis imminerent. Cæterum Angliam peti non dubia fama fuit. Tanta erat victoriæ fiducia, uti Regnum illud in filiæ dotem deſtinaviſſe Hiſpanus referatur. Cæterum quam facile collabaſcant improba mortalium conſilia, maximęque vires, quæ divinâ ope non ſuſtentantur, ſubitò lapſu graviore corruant, ſummus rerum arbiter oſtendit. Sæva enim tempeſtas, quæ ſupra modum turgidum mare conciverat, unâ nocte quadraginta naves in brevia, infamesque ſcopulos ita compegit, ut fractæ ſuper urgentibus aquis cederent. Ignobili morte ad quinque hominum millia perierunt. Vicies quinquies centena ducatorum millia hauſta memorantur. Diffidentia Hiſpanorum hanc calamitatem properavit, cum

imminentia pericula Belgæ vadorum circa hæc loca gnari mature prævidiſſent, & incaſſum monuiſſent, quod in avia & ſyrtes vectarentur. Sero creditum illis, cum clades ſuperaſſet. Tota admodum periiſſet claſſis, niſi nauta Batavus complures præſenti exemiſſet periculo, quod idem anno octuageſimo octavo ſolerter factitaverat. Ita nobili claſſe non ab hoſtibus, ſed à calamitate victa, fruſtra eam Duinkerquani, ut ſuas conjungerent copias, expectabant. Noſtri autem, ne opportunitatem temporis corrumperent, fortunam experiri auſi, duas naves, quę ad Neoportum oppidum ſtruebantur, igni ſubjecere. Anno quoque ſequenti non proſpere ceſſit Britannis, Bataviſque nova expeditio, qua circa Azores opulentas inſulas, maria rapinis fatigare, inprimis claſſem Americanam opperiri conſilium erat. Naveis Regię Anglicanę erant ſedecim, viginti Batavicę ſub præfectura Warmondii: ſexaginta minores militi & commeatui vectando. Militum ſex erant millia ſuſtentandę terreſtri militię. Toti claſſi ſupremo imperio Eſſexius præerat, comperto parem poteſtatem magnis patrandis facinoribus inutilem eſſe. Cæterum fœda admodum atque horribilis tempeſtas conſilia fregit. Prætoria navis arboribus mutilis, furore fluctuum compagibus ſolutis, exitio propinqua erat, tota claſſis ita lacera, ut vix ſumma ope aquis exhauſtis ſuper fluctus attolleretur, ſalva tamen poſt decimum diem in Angliam reverſa eſt. Milite languore morbiſque afflicto dimiſſoque, majoribus navigiis fortunam tamen tentare placuit. Verum iterum tempeſtate advorſisque ventis agitata claſſis, invadere opulentiſſimam claſſem Hiſpanicam, quę in Azorum unam ſe

receperat, non potuit. Treis tantum, quæ deviæ oberrabant interceptæ, quarum una à Batavis occupatâ, dum alteram prædę avidi perſequuntur, ſuperatam ſibi retinebat Ralegus Anglicanæ claſſis parti præpoſitus. Hinc jurgia & contentiones in nervum eruperunt. Caracca ex India veniens propriis ignibus abſumpta, ne prædę cederet. Oppidis exiguis, queis nulla prætexebantur munimenta, incenſis, in cæterum improſpera hæc fuit expeditio, & virtuti advorſabatur fortuna. Gravior fuit Padillę calamitas, qui fœdam cladem corrigere cupiens in graviorem incidit. Horridus ſeptentrio totam claſſem, quæ centum & octo navibus, præter claſſiarios militum octo conſtabat millibus, disjecit, diſſipavit, galeones tres & ſex alias naves, virûmque & auri immenſam vim profundo merſit. Reverſus domum præfectura movetur, atque in ejus locum ſuffectus Didacus Brocurus. Incerta caſuum non tantum infortunio, verum & culpę imprudentiæque, imputata fuere.

CAPUT XXIII.

DE PRIMA VERSUS INDIAM NAVIGATIONE, PRÆLIISQVE NAVALIBUS CUM LUSITANIS ET BARBARIS, Anno cIↃ IↃ xcv. & duobus ſeqq.

Cum per rigidam arcton anno cIↃ IↃ xcIv & duobus ſequentibus, tertiùm infeliciter ſucceſſiſſet Sinas, Moluccas inſulas, Indiamque verſus Batavorum memora-

memorabilis expeditio, ubi non tam cum hominibus, qui nulli reperiebantur, ſed cum immanibus belluis urſisque, atque mari congelato, quod glaciali compage veluti edita montium attollebat, pugnatum fuit, eadem tempeſtate nimirum anno cIↃ IↃ xcv mercatores nonnulli quatuor naveis inſtruxerant, ut auſtrum verſus navigando fortunam ancipitem, & longe difficillimam in Indiis experirentur. Maxima illarum erat trecentarum vehium, tormenta in univerſum centum. Quadringentis florenorum millibus claſſis æſtimabatur. Nimirum fata viam invenerunt, & iis quos Rex Hiſpanica negotiatione interdixerat, penetralia Indiæ divitiasque aperuit. Jam ante quaquavorſum maria navigationibus, commerciisque Batavorum, Zelandorumque fervere ceperant, & quos Principum iniquitas vel metus oppreſſerat, ne potentiam ſuam pelago inprimis utraque India experirentur, nunc lucri inprimis & libertatis avidi, totum terrarum orbem, incognitaque litora luſtrabant. Neque frigus, neque incendium æſtuantis ſolis eos territabat. Et, quis credat, hominum ſeptuaginta perpetuo millia in mari habitabant, cumq; illis regionis ſuæ obtigiſſet anguſtia, animum terrarum mariumque omnium finibus vix terminabant. Præter Europæas regiones etiam in Mauritaniam itum, qua mari Oceano & interiori alluitur. Guineam auri eborisque feracem eadem cupido invaſit. Neque America vota interrupit. Nunc in Indico Oceano biennii ſpatio luſtratę inſulę, aromatum feraces. Mira autem illorum, qui in Indiam primi navigarunt, abſtinentia, & fidei cura. Quandoquidem mandata exceperant, ne primi hoſtibus vim intentarent, verum ſua tantum tuerentur,

aperto

aperto mari, quod Africam & Americam interluit, Hiſpanicam navem opulentam mercibus, à reliquis diſtractam, quę extrema expectabat, intactam dimiſêre. Quoniam autem Luſitanorum inſidiis plures aſperę nobis difficultates obtigere, velitationes & prælia maritima hic ex ordine proponemus. Prolixis itineribus à Noſtris ad Javam ventum, quę à Sumatra, quæ veterum Taprobane fuiſſe creditur, viginti circiter milliaria maritimo itinere diſtat. Urbium Princeps Banta, commerciis Orientis nobilis. Ubi cum frequentes Luſitani commerciorum cauſâ ætatem agerent, tum Cæſarem Javanum, tum proregem quotidie precibus fatigare, donis, quibus barbari maxime capiuntur, tentare, invidia & odio peſſimis conſultoribus perniciem noſtris machinari, criminari Noſtros, eſſe illos totius generis humani hoſtes, omnia maria & terras lucri cupidine infeſtare, quicquid obvium, haud ſecus atque avitum, inter ſe partiri, rapere aliena jus belli vocare. Si nunc ipſo initio non cohibeantur, fieri mox poſſe, ut illo incendio omnia Orientis regna conflagrent. His ſimilibusque verbis Cæſarem Javanum, Proregem Bantenſem, & Sabandarium, qui à primis conſiliis erat, ad nefanda facinora incitabant. Cæſarem promiſſis eò impulerant, ut ſub amicitiæ velo Præfectos claſſis, cum iis qui aliquo munere inſignes eſſent, ad geniales epulas invitaret, &, dum vinum ſecuritatem ſuaderet, ipſi claſſem ducibus vacuam armato milite invaderent, præda & merces cunctæ Cæſari cederent, pro navibus tria ducatorum millia perſolverent. Cæterum cum inſidię, quas occulte tentaverat, non procederent, Prorex icto fœdere commerciorum ſpecie iterum allexit. Verum

cum

cum dolis hic omnia componerentur, Præfectusque Houtmannus aliique nonnulli detinerentur, post varias expostulationes frustraneas, placuit tandem extrema omnia experiri. Captato itaque à meridie maritimo vento, qui ſtato indies illic attollere ſe ſolet tempore, plenis velis, explicatis vexillis, litori, quam proxime potuit, propinquantes, tormentis urbem concutere, tecta lacerare, tumultu & metu omnia miſcere, rapinis litus infeſtare, myoparones treis aromatibus refertas abducere: altera à Luſitanis incenſa flagrantibus ad urbem ignibus delata fuerat. Prorex ex eo tempore ira & metu anxius inſidias tendere, atque ea modo in animo habere, quibus claſſi extrema intentaret. Houtmanno reliquiſque captivis implicitis laqueis gulam frangere minabatur, niſi exploſione machinarum noſtri deſiſterent, ab urbe ad ſtationem ſuam recederent, prædam reſtituerent. Perlectis Houtmanni literis cordatè ſenatus nauticus Proregi reſcripſit. Fide, induſtria, aliisque bonis artibus ſe nullis unquam mortalium ceſſiſſe, cæterum qui nunquam injuriis laceſſere alios conſueverant, nihil gravius atque injurias ferre. Circumventos ſe dolis, retentos populareis contra jura gentium. Ubi omnis fidei religio exceſſit animis, naturæ ratio dictat, ut vim vi repellamus. Credidimus vos popularium ſanguine cruentaſſe manus veſtras, quod ad literas noſtras nihil reſponſum foret. Tacentibus vobis ſanguinem expiaturi venimus. Modò intelleximus implicitis collo laqueis extrema captivis vos minari, niſi tormenta cohibeamus, & confeſtim in ſtationem veterem recedamus. Sin captivi & merceis reſtituantur, ſancte omnia amicitiæ officia pollicemur, ſin ſecus, periculum

virium

virium experiemur. Neque verò hæc tam vobis, quam calumniis Lusitanorum tribuimus. Haud facile animus verum providet, ubi alterius partis gratia dominatur. Eligas nunc, an pacem, an arma velis; salubre consilium, ne certæ incertis mutes; impone felicitati tuæ frenos, facilius illam reges. Cum ad illas literas iterum Prorex non respondisset, maritimo vento prope ipsam urbem accesserunt, ita ut fundo propemodum ac vado carinę hæserint. Utique liburnica quodammodo arenarum syrtibus involvi ceperat. Interea continuus tormentorum furor mœnia & tecta urbis undiq; quassabat. Quibus rebus permota civitas trepidare, festinare, militem cogere, insolito tumultu cuncta miscere, majoribus pilis territi non amplius loco cuiquam satis fidere. Tandem oppidani cum Lusitanis ad arma convolant, celocibusque viginti quatuor, armatoque milite, liburnicam, quam arenæ impactam credebant, invadere tentant. Acie instructa sex à tergo, octodecim à fronte immittunt, certam sibi spondentes victoriam, quod pauco milite insideri navem non ignorarent. Cum iis, qui subsidio venerant, viginti quatuor viri liburnicam contra confertam undiq; multitudinẽ defensabant. Summo nisu ex arenâ navem eduxerant, quę fluitans in propinquos & confertim irruentes certos ictus jaculabatur. Depressis aliquot celocibus, hinc ab aquis, illinc ab ignibus, miserabilis mortis imago apparebat. Reliquæ metu territæ confestim in fugam conversæ, ultra centenos partim occisi, partim saucii, nullo nostratium incommodo. Dum ita liburnica, virtute & Diis volentibus, viginti quatuor celoces in conspectu urbis summo hostium opprobrio in fugam agit, plureis cæsos tanquã purgamenta

maris fluctus ad vicina litora volverent, acceſſit & alia oppidanis calamitas, quòd ex claſſe noſtra, quæ propter vada ſuppetias ferre liburnicæ nequibat, tanto horrore denſiſſimi globi ex majoribus tormentis in urbem jacerentur, ut undique immenſo fragore colliſa tecta nequidem refugium fugientibus relinquerent: inprimis ſuburbium, in quo frequentes Luſitani cum Chinenſibus victitabant, totum pene dirutum disjectumque cum gravi infortunio luctabatur. Neque nocte quies, ſed ingeminatus terror. Ponderoſiſſimas machinas centies & ultra exploſas conſtat. Quo negotio vehementer Prorex permotus, multa cum animo ſuo volvebat. Terrebat eum natura Batavorum, quæ fatigata injuriis, præceps ad implendam vindictæ cupidinem ruit, & vitam atque mortem juxta æſtimat. Cæterum inſtigantibus Luſitanis, ut ex Houtmanni literis intellectum, Javani in eo erant toti, ut artificioſis ignibus, machinisque flammas evomentibus, quîs conficiundis ingenio pollent, claſſem flammis fœdarent, opprimerentque. Quo comperto, & ſimul quam grave periculum popularibus immineret, conſtituit Senatus nauticus iterum Proregem monere, ne nimiũ Luſitanis, qui calumniandi libidine transvorſi agebantur, fidem adhiberet; eſſe hominum genus leve, perfidum, multisque vitiis coöpertum, jamdiu tentaſſe omnia maria, omneis portus cæteris gentibus præcludere, quinet inſatiabili habendi cupiditate flagrare, adeò ut eorum aviditatem ne quidem totus orbis capiat. Altera manu Orientem, altera Occidentem premere. Magnas illi opportunitates in gente Batavorum ſitas, quæ fide inclyta regno ejus magno poſſet eſſe uſui. Proinde ſi ſibi regnoque ſuo conſulere velit, ne

res ſuas fortunasque perditis Luſitanorum rebus immiſceret. Ad extremum iterum petere, uti captivi reſtituantur, neque calumniis Luſitanorum fidem adhibeat. Pacem ante omnia ſe cupere, quam ut ipſe quoque amplecteretur, neque incerta pro certis mutet, ipſius quam maxime intereſſe. Prorex, etſi longe alia volveret, ubi ſe videt difficultatibus circumventum, neque per vim neque per inſidias claſſem opprimi poſſe, tandem certis conditionibus fœdus percuſſit, captivos liberavit. Interea Malaccâ Legatus venit, qui decem realiorum millia Proregi obtulit, ut exploratores (ita Hollandos appellabat) vivos in poteſtatem ſuam redigeret, aut commerciis, regnique ſui finibus in totum prohiberet. Ita rurſum Proregi divitię bono honeſtoque potiores erant, quanquam conſilium illud inceptumque fruſtra fuerit. Noſtri ubi cuncta admodum fœdera ludibrio exponi vident, extenſis velis Iacatram petunt, cum jam ante aliquot parones vi armata ſui juris feciſſent. Ab uno tamen hoſtili lembo in aperto mari, antequam dederetur, cum Barbari toxico infectas ſagittas imbrium in morem ejacularentur, nonnulli ita vulnerati, uti niſi carne & cute exciſa curari nequirent. Cum itaque relicta ſtatione Bantæ, anchorisque levatis Iacatram, aliud Iavanorum emporium petiiſſent, Iavæque poſtmodum litora pedetentim legerent, tandem ſub tertium Decembris diem ad Cydaiam anchoras jaciunt. Ibi rurſus Barbarorum perfidia in nervum erumpit. Cum enim Sabandarius (princeps conſiliariorum ita appellatur) nomine regis officioſe petiiſſet, uti claſſem oculis uſurpare fas eſſet, cujus luſtrandæ deſiderio ſummopere flagrare Regem ſimulandi promptus

finxerat, cum revera longe aliter animo agitaret, Noſtri pro tempore benigne omnia officia humanitatis obtulerunt. Cum itaque ſedulo cuncta noſtri paraviſſent, ut Regem accuratè & liberaliter exciperent, poſtridie multi lembi paronesque vectorum pleni partim navem Amſtelodamum, partim liburnicam petunt. Præfectus Hellius, & navarchus Scellingerus, qui Amſtelodamo præerant, circa foros adventantem, uti arbitrabantur, Regem expectabant, quo ſolitis officiis humanitatis & blandimentis regem prenſarent. Vix nobilium præcipui, cum ſatellitio navem intrarant, quin ferrum continuo ſtringunt, & primo impetu duodecim conficiunt. Hellius, cujus partes erant Regi adventanti gratulari, à Sabandario dolone confoditur, Scellingerus quoque letali accepto vulnere exanimis concidit. Nauclero, qui clavum tenebat, inteſtina ex vulnere aqualiculi in pedes propendebant, quod vulnus quoque Sabandarius intentaverat, cujus animus ferox in cædem promiſcuam graſſabatur, qui ab uno ex primipilaribus itidem ſaucio medius tranſverberatus. Interea qui in navis interiori parte erant, tam nefando facinore exciti, ipſi quoque ſtrepitu & tumultu omnia miſcere, contis haſtisque occurſantes per tabulata confodere, in ſuperiora eniti, dein gladiis ſclopetisque cominus agere, hominesque omnium, quos terra ſuſtinebat ſceleratiſſimos, ad certam mortem adigere: alii transfixi, alii in mare præcipites agebantur. Quorum fortuna territi cæteri, qui liburnicæ inſidias tendebant, ſumma cum trepidatione ægre ſe receperunt. Iavani plures, qui in litore victoriam ſibi certam pollicebantur, navem Hollandiam, quæ vorſus terram ferebatur, fugere-

rati,

rati, læti magno impetu lembis ſuis inſultant, mariqué ſe committunt, ſcelere atque ſuperbia ſe efferentes, proximam navem primam ſui ſceleris prædam facere tentabant: cæterum ubi propinquant noſtris, longe alia immutata rerum facies, tormentis enim impetiti plures lembi depreſſi, ex inſulanis alium alia clades oppreſſit, ferrum, ignis, mare multos conſumpſit. Neque enim pugnandi audacia, neque fugiendi copia erat. Ita perfidiæ pœnas Barbari, quos à Bantenſibus & Luſitanis incitatos poſtmodum compertum fuit, juſtiſſime reddiderunt. Domum reverſa claſſis anno cIↃ IↃ xcvii. poſt multas difficultates, damni tamen exors, lucri cupidos mercatores, Hollandos Zelandosque plures, & ex Brabantia extorres facile impulit, uti majori claſſe certa ſpe incerta caſuum in India tentarent.

CAPUT XXIV.

EXPEDITIO NAVALIS, QVA AB ANNO cIↃ IↃ xcviii USQUE AD cIↃ IↃ cI *OLIVERIVS de NOORT, TOTVM TERRARVM ORBEM TRIENNII SPATIO CIRCVMNAVIGAVIT, EIVSQVE CONFLICTVS CVM DVABVS HISPANORVM CORBITIS IVXTA MANILLAS.*

INTER Argonautas, qui totum terrarum orbem navigando luſtrarunt, aliud cælum, alia ſuſpexerunt ſidera, glorioſum quoq; nomen obtinet Oliverius de Noort, Ultrajectinus, cujus vaſtus ſpiritus nullis limitibus coärctabatur,

ſed vagus æquoris hoſpes, terrarum mariumque ambitu vota ſua ſatiabat, quanquam aliquotiens adverſus hoſtium vires, vel adverſus fœdas tempeſtates eluctandum fuerit. Anno cIↃ IↃ xcviii Moſæ oſtio tribus navigiis, unaque liburnicâ egreſſus, dubio ſecans æquora curſu, ſuperato freto Magellanico triennio exacto domum reverſus eſt. Principes hujus expeditionis erant Viri ampliſſimi, Petrus de Beveren, Hugo Buſius, & Ioannes Benningus. Antequam veroOceanum auſtralem longis admodum itineribus attigiſſent, multa Noſtris aſpera atque advorſa evenêre, & mox fœda tempeſtate infeſtoque mari duabus amiſſis navibus, virtus tamen omnibus calamitatibus major iiſdem accendebatur. Sicut arbores, quæ continuis ventorum flabris agitantur, duriores evadunt, ita neque ventorum neque fortunæ tempeſtatibus frangitur inconcuſſus animus, ſed robur accipit. Cæterum neque fortuna ſemper nobis iniqua fuit, verum, uti omnium rerum fatalis quidem orbis eſt, non ſimpliciter poſtmodum nobis indulſit. Præter plureis interceptos lembos, prope inſulam S. Mariæ navem Hiſpanicam diu inſectati, facile ſuperavimus, quod Franciſcus Buarra non in armis ſed in fugâ omne præſidium quæreret, cumque nulla evadendi ſpes relliqua eſſet, arbitrio victoris ſe permitteret. Cæterum poſt diſceſſum Præfecti hoſtilis, quem cum plerisque aliis incolumem dimiſerat Imperator noſter, ex captivis compertum, auri decem millia & ducenta pondo, quæ tribus cymbis in navem Hiſpanicam invecta fuerant, in profundum jacta fuiſſe, idque factum nocturnis tegentibus tenebris, ne ingens vis auri noſtro uſui cederet. Mox Japoniam verſus, atque Manil-

las

las profectis duæ ingentes Hiſpanorum corbitæ occurrerunt, quas Franciſcus Telus, qui nomine regis inſulas illas ſummo cum imperio obtinebat, opprimendis noſtris navibus miſerat. Cum iis horribilis & longe acerrimus conflictus fuit. Poſtquam Noſtri in Prætoriam hoſtilem ſimul cuncta ejaculati eſſent tormenta, conferta hoſtium multitudo numero freta ſummo cum impetu in principem navem ſe effudit, tantoque furore manus conſeruit, uti infra tabulata ſe noſter miles reciperet. Ibi primo commoti aſpera ſorte, mox vindictæ lubidine incenſi, divorſi agitabantur, verum poſtquam vitam Fortunamque ſuam in extremo ſitam vident, ex periculo ad extrema experiunda adacti fuere. Haſtis ſclopetisque ex inferiori parte paſſim occurſantes confodiunt, quorum ſparſa cadavera aliis terrorem injiciebant. Dum Prætoria hoſtilis per integrum diem annexa noſtræ divelli nequibat, poſt cruentum prælium feſſi fatigatique ſpiritus utrinque cadebant. Et noſtri advorſis vulneribus fracti animum jam deſponderant, verum Oliverius igneo ſpiritu extra ſe raptus, comminatus ſe pulverem bellicum incenſurum, niſi ad reſtaurandam pugnam properarent: Nondum victores, qui foros transſultaverunt, virtute & audacia pelli poſſe: temeritatem hoſtium, ubi primum impetum effudit, ſibi imparem fore: concumulata cadavera oſtendere etiam vinci poſſe. Et jam fugæ propiores monent vos, quam breves & mutabiles rerum vices ſint, modo vos virtutis priſtinæ memores conſerta robora veſtra opponatis. Arma viri, ferte arma. Et ſimul incaluerunt in immenſum Martio ſanguine ſociorum præcordia, ſecutique Imperatorem ſuum, qui in agmine,

in præ-

in prælio conſultor, & ſocius omnium periculorum in confertiſſimam hoſtium turbam ſe dederat, tanto inſultu dimicarunt, ut viri viris, arma armis innexa forent, neque prius cederent, quam victores, vel adverſis vulneribus procumberent. Omnia perrumpit virtus cedere neſcia. Fuſi, fugati hoſtes magna ſtrage, & Prætoria hoſtilis admodum laborabat, quæ arctius fixa divelli nequibat. Tandem denſiſſimus machinarum verberibus quaſſata ægrè admodum ſe dimovit, & non multo poſt derepente aquis hauſta peſſum ivit, ſubitoque ab imo uſque ad mali culmina gurgite preſſa obrutaque fundum petiit. Vectores & claſſiarii cum Duce ſuo propemodum quingenti præcipiti fato perierunt. Oliverius ſex aut ſeptem tantum occiſos, vulneratos viginti quatuor habuit. Neque noſtra navis ab ignibus immunis, niſi induſtria navalium extinctum illud fuiſſet incendium. Cæterum, liburnica noſtra, quæ ad duo milliaria longius proceſſerat, à vicaria hoſtili facile oppreſſa, cum viginti tantum quatuor viros puerosque contineret, illa autem tantæ eſſet magnitudinis, ut quingentis ferme armatis hominibus ſtipata, decemque tormentis inſtructiſſima eſſet.

CAPUT

CAPUT XXV.

PRÆLIA ET VELITATIONES INTER NONNVLLAS NAVES CLASSIS HISPANICÆ, HOLLANDICÆQVE,

ANNO cIↃ IↃ XCVIII.

DUM Duinkerka prædonum domicilium, & cruentum maris noſtri flagellum complures naves, etiam inermes piſcatorias raperet, prolixæ exaudiebantur paſſim querelæ, inprimis piſcatorum, qui exiguo quæſtu vitam tolerantes, non tantum contra incerta caſuum, verum ipſam mortem navigabant. Conſtructis itaque novis navigiis, modica tamen claſſe Petro Douzæ viro nobili cura commiſſa, uti partim egreſſus prædonum obſervaret, partim obliquando vagos per mare curſus, in freto Britannico ferociam contunderet, rapinas arceret. Cæterum comperto claſſem Hiſpanicam milite refertam, triginta octo navium, cujus imperium Pretendona obtinebat, adventare, magna opprimendæ ejus cupidine Douſa æſtuabat. Verum vento acri & ſecundo turgidis velis ferme integra portum Caletenſem tetigit: Noſtros enim adverſa venti violentia retinuit, quo minus virtutem experirentur. Curſibus tamen obliquis obniſi, paucas hoſtiles naves, antequam in portum ſe receperant, litori impegêre. Una ſuperata: inſolitaque id temporis clementia vitæ claſſiariorum parcitum fuit. Non multo poſt ex eodem portu furtim duæ elapſæ naves mercibus opulentis refertę, multoque milite

ſtipatę, qui militię & laborum feſſus miſſionem flagitaverat, in Hiſpaniam iter moliebantur. Poſt acrem Batavorum inſultum ſuperatę, ingenti prædę ceſſêre.

CAPUT XXVI.

DE NOBILI, SED NON FOELICI EXPEDITIONE NAVALI LXX NAVIUM, SUB PETRO DOVZA PRÆFECTO MARIS, Aº. cIↃ IↃ xcIx. & ſeq.

INterdixerat fœderatis Belgis Hiſpanicam negotiationem jam ante Philippus artium politicarum vetus, verum libertas commerciorum in totum non tollebatur, cum ſub nomine aliarum gentiũ Fœderati tutò fallerent. Et Rex ipſe velle decipi, prudentiam cenſebat. Cæterum, ubi ille mortalitatem explevit, à ſucceſſore filio ſeveriſſima in Hiſpania Belgioque edicta promulgata. Retentę naves, bona in fiſcum acta, nautarum complures cruciatibus vel extremis ſuppliciis enecti, vel in carceribus loca humi depreſſa, inculta tenebris, illuvie atque odore fœda habitabant, alii ad remos damnati miſeram vitam trahebant. Albertus quoque ſeveriſſime edixerat, fruſtra renitentibus Brabantis, Flandrisque, ne ullarum mercium travectiones fierent, & piſcatoribus, hominum generi innoxio, quique ex mari vitam ſuſtentabant, adempta quoque ſecuritas. Patres etſi non modice hâc re commoti, generoſe tamen conſilia in aſperiora vorterunt, contrariumque edictum promulgarunt, quo vetitum, non tantum Belgis, ſed & aliis populis,

lis, ne ulla commercia in Hiſpaniam, vel Hiſpano obnoxias ditiones transvectarent: ſi qui ſecus faxint, hoſtium loco futuros. Miſſum ad Reges, Principes, & Civitates, quæ commerciis florebant, edicti exemplum, ne ignorantiam obtenderent. Interdictum quoque piſcatoribus, ne redimerent ab hoſte piſcandi neceſſitatem, ſibi præſidiariis navibus curæ fore, ne quid magna piſcatio detrimenti caperet. Decretum quoq; claſſe ingenti ipſam Hiſpaniam oppugnare, uti primus Rex in ſuis regionibus damnum ſentiret, atq; in propriis viſceribus attereretur. Verum ingens pecuniæ vis in eam rem requirebatur, nam pleræque gentes Europę commerciis illis quæſtum factitabant, quibus reſiſti nonniſi vi majori poterat. Acciſæ erant ærarii vires, & patrando pulcherrimo facinori facultates deerant. Præter onera navibus impoſita inventa ratio pecunię conflandę. Excogitata fuit ducenteſima, quod tributum tam prompte collatum fuit, ut plurimi ultro, plus quam indictum erat, perſolverint. Pro tutanda patria, pro commerciis, quîs peſſum euntibus etiam fatiſcebat Reſp. veluti certatim effundebatur argentum. Inſtructa itaque à Patribus claſſis LXX navium, quibus additi ſena ſociorum navalium, & duo militum millia. Summum claſſis imperium Petro Douzæ militię maritimę impigro, Præfectura militum Stormio data fuit. Cujus rei fama ſimulatque in Hiſpaniam pervenit, belli timor inſolitus inceſſerat, plurimi maritimis locis diffidere, & in mediterranea ſe recipere, ſuo quisque metu pericula metiri. Rex Hiſpanię cunctas, quæ illâc appulerant, naves detinuit, quîs major vis arceri poſſet, ſed mali, rudentes, cæteraque rei navalis adminicula deerant, & pro-

hibentibus Belgis, arceſſi nequibant. Menſe Majo egregie expedita noſtra claſſis mari ſe dedit. Mandatum à Patribus, uti Hiſpaniam, inſulasque omnes ejuſdem ditionis infeſtarent, regias in Coronenſi portu naves adorirentur, atq; in eiſdem disjiciendis corrumpendisque fortunam tentarent, claſſem Americanam inveſtigarent, in omnibus dominationem contunderent Hiſpanicam. Non ex voto ſucceſſit tanta expeditio, quanquam ingens damnum Regi inflictum fuerit. In portu Coronenſi jactis anchoris, eminus tantum tormentis certatum. Claſſis enim Hiſpanica ſub tutelam arcis confugerat, quò machinis undique detonantibus difficillimus erat acceſſus, & quanquam incendiariis navibus regias naves corrumpere in promptu eſſe videretur, Hiſpanicis tamen portibus inſultaſſe ea tempeſtate ſufficere Præfecto videbatur, ne occaſio occurrendi Hiſpalitanæ claſſi, quæ Americam petebat, elaberetur. Verum & ea quatriduo ante ſolverat. Rectà itaq; in Atlantico Oceano Canarias, quas antiqui Fortunatas inſulas vocant, contendit, & primum maximam inſularum adortus, ubi poſt acrem detonantium machinarum procellam una Hiſpanica navis merſa, duæ virtuti Noſtrorum ceſſere. Exſcenſum quidem in terrã minoribus machinis telisq; prohibere Barbari nitebantur: verum tormentis ſimul excuſſis, in ſcaphas expeditus miles cũ Imperatore ſe receperat, atq; ubi ad impervia navigantibus vada ventum, ipſe Dux imperterritus primus omnium aquis inſultat, neque frigido elemento ignibus virtutis extinctis, tribus vulneribus ſaucius, in vicinam tellurem ſe corripit, & hic abrupta militari facundia, aut vincam, inquit, aut moriar, & vos commilitones ſequimini, periculum nunc declinare ſummum

ſummum periculũ eſt. In manibus nunc omne præſidium, infuga certa clades. Paucis opus erat verbis, cum & propria militum virtus vel etiam pudor idem ſuaderent. Tria caſtella inſulanis multum reluctantibus expugnata, urbs Allagona dedita, prædâ receptâ igni tradita eſt. Idem fatum Gomera inſula & oppidum habuit. Parte hinc claſſis cum præda in Hollandiam remiſſa, ulteriora Præfectus petiit, & Guineæ litora legendo in itinere quatuor naves mercibus Hiſpanicis ſtipatas velitando intercepit. Exin S. Thomæ inſulam ſub ferventi linea ſitam, quæ præter ardorem propinqui ſolis cum noxiis admodum colluctatur vaporibus, ſpe prædæ adiit, caſtellisque & urbe Pavoazâ potitus, incenſa illa, quod non ultra decem ducatorum millia redimendę illi cives pollicerentur, immenſam prædam nactus eſt. Cæterum peſtilens & malignus aër illi regioni incumbit, vultus quoque indigenarum luridi & veluti veneno infecti. Hæc pernicies inſuetos imminentis ſolis multos rapuit. Intra XIV dies, qui ibi conſumpti, milleni in claſſe periere, qui intolerabili capitis dolore ſimul cum febrili incendio uſque ad inſaniam agitabantur, quibuſdam præ calore in ipſo abdomine liquefactus adeps: tertio plerique aut quarto die mortalitatem implebant. Præter vehementem æſtum noſtratibus inſuetum, etiam venenatus aër erat, antequam radiis ſolis excuteretur, quando domi manendum erat, quod uti neglectum Belgis, ita & intemperantia potus ſaccharo mixti, cum Æthiopicis mulieribus conſuetudo, cubile humi captando frigori nocturno, mortalitatem auxêre. Imperatorem claſſis, cujus virtuti torridum cœlum invidebat, abripuit quoque eadem fatalis neceſſitas. Adipe liquefacto

facto (erat enim supra modum obesi corporis) periisse creditur. Cadaveri alte humi defosso, ne postmodum repertum ludibrio exponeretur, superjectis urbis ruinis parentatum est. Commota hinc pubes nautica & militaris execrari pestilentem insulam: una omnium vox, ut abitum mature molirentur, antequam omnes è medio tollerentur. Neque hic navigantibus malum imminutum, sed contagio fœdusque odor in arcto navium morbos mortesque sparsit. Namque ubi ultra quadragesimum & sextum gradum frigidius se aperiret cœlum, uti subita mutatio pernicioſa mortalium corporibus, derepente languentia plerorunque corpora violentus morbus vel attrivit, vel oppressit. Numerati uno tempore ægri mille octingenti, ita ut præ infrequentia una navis deprimenda fuerit. Una densissimis nebulis in Slusanum portum delata, ingenti cum præda in hostium potestatem venit. Eadem sors obtigisset aliis quatuor navibus, sed bellicæ nostrę præpediverunt, una tamen depressa, alterâ hostis potitus est. Ex omni centurionum numero duo tantum fuere superstites, quibusdam navibus vix sex integræ valetudinis viri numerabantur. Infelix quidem hæc fuit expeditio, sed præda tamen sumptus fere æquavit. Atque Hispanus, qui classe iterum Anglos Belgasque tentare in animum induxerat suum, votis excidit. Audito enim Canariam insulam à Nostris occupatam, atque ulterius in Americam Belgas contendere, Rex Adelantadum, penes quem classis imperium erat, Terceram proficisci vestigio jubet, uti Americanę classi, quę immensas vectabat opes, obviam iret. Cæterum illi, prope Terceram fœdis jactati tempestatibus, disperſiq; : plures navium mersæ, alię quassę

diver-

diverſis temporibus Hiſpaniarum portus appulêre. Atq; ea tempeſtate admodum regię potentię fama deminuta eſt, qui cum ab ortu ad occaſum late regna poſſideret, divitię, quę prima mortales cenſent, affluerent, vix tutari domi ſua poterat, atque prohibita in Hiſpaniis Belgarum negotiatione Remp. obſtinato animo perditũ iverat, atq; Orientis & Occidentis invadendi cogitationes Fœderatis ultro indiderat.

CAPUT XXVII.

LEGIERII PRÆLIVM CVM SEX SPINOLÆ LONGIS NAVIBVS, ITEM ALIÆ VELITATIONES, ANNO EODEM.

ADDUXERAT Fredericus Spinola ex Hiſpania in Sluſanum portum ſex longas naves, quæ homines admodum mille & ſexcentos, tum milites, tum ſervos remis impellendis, aliisque miniſteriis ſuetos vectabant: quæ primo adventu non modicum terrorem mercatoribus, & Zelandico litori, damni non multum intulerunt. Verum ubi fama, quæ adventare claſſem Hiſpanicam operoſæ molis diſperſerat, evanuit, pauco milite contuſa fuit Hiſpanorum confidentia. Poſteri vix credent Legierium centurionem hominem infractæ virtutis, & promptę audacię, ſolum ſex hoſtilibus navibus circumventum ita dimicaſſe, ut perruperit totam aciem, hoſtibus inſignem calamitatem inflixerit. Captato cœlo, tranquillo & ſtrato æquore cunctæ admodum longę naves, præter ordinarium militem è præ-

ſidiis

ſidiis mille & ducentis aſſumptis, Legierii navim, qui claſſi Zelandorum vicaria poteſtate præerat,tanto impetu adortę, ut in omnem partem retinaculis annexę viderentur, feralibus ignibus tormenta undique quaterentur. Hoſtiles naves ultra bis mille & octingentos homines vehebant,Legierius ſeptuaginta tantum homines numerabat. Propinquæ noſtrorum bellicæ naves placido mari nullisque ventis agitato, & advorſu æſtu ſuppetias ferre nequibant. Legierius itaque ſolus imperterritus fortiſſime rem geſſit, atque fiſtulis propinquantem hoſtem ita excepit,ut eundem poſt duarum horarum certamen cæſis CCL viris in fugam infami dedecore egerit. Ipſe vulneratos,aut interfectos XXV tantum habuit. Neque minus hoſtium naves quaſſatę à tribus poſtmodum bellicis noſtrorum navibus, quas ſimulantes ſe mercatorias eſſe, ſpe prædę aggreſſę fuerant. ſex admodum horis in conſpectu Vliſſingæ nunquam vehementius dimicatum eſt. Victę eodem anno debellatæque vel aſtu vel virtute naves aliquot, quod obiter memorare pretium eſſe operę duxi. Menſe Junio, duæ Hollandorum naves, quæ à Rege attinebantur, profugêre, & cum tertiam partem, Hollandorum captivi facerent, ſingulari virtute ſubito in nautas & miniſteria Hiſpanica inſilientes pluribus confoſſis, reliquos in fluctus præcipites egere. Eadem tempeſtate quinæ quoque bellicę Hiſpanorum debellatę, captivi omnes in patibulum acti. Unam haud procul Norvegia depreſſę molis bellica navis, mercatoriam ſimulans ſuperavit. Alteram Cloierus expugnavit admirabili fortuna, cum enim vixdum connexis navibus homo præcipitis audacię primus in foros hoſtileis tranſiliiſſet, interea navim nondum

dum harpagonibus alligatam, ventus in diversa rapuit, & centurionem in hostium potestate reliquit. Sed omnino cuncta pubes hostilis, rata cum centurione cæteros quoque socios navales eodem impetu transultasse, infra tabulata se commiserat. Interea, antequam rescirent, Nostri conversis velis suppetias tulerunt. Memorabilis quoque virtus fuit mercatoriæ Enchusanæ navis, quæ à quinis Duinkercanorum acriter impetita, & harpagonibus retenta, hostem, qui in superiora jam se receperat tabulata, incredibili fortitudine depulit: namque singulari prudentia majorem medii mali antennam, ne præcideretur, catenæ suspensam alligaverant, & cancellos acutis clavis confixerant, ne quis temere ulterius transcenderet.

CAPUT XXVIII.

CONFLICTUS HISPANICÆ CLASSIS CUM NOSTRIS SOCIETATIS ORIENTALIS NAVIBUS, Anno cIↃ IↃ cI.

Sicuti difficillima cunctarum ferme rerum initia sunt, ita Nostri in Indiâ multis circumventi difficultatibus, inprimis Lusitanorum artibus, qui maxima ope nitebantur, ambiebant, fatigabant passim Reges, ne commerciis illic Nostratium nova sedes aperiretur. Verum agendo, vigilando omnes ærumnas eluctati, tandem advorsa Fortunæ superavimus. Uti cæteras expeditiones prætermittam, rebus feliciter & ex voto cedentibus, anno millesimo sexcentesimo primo tredecim instructæ naves ad Indos misse

erant ex tribus conflatę ſocietatibus, quatuor Jacobus Heemskerckius, totidem Johannes Grenirius, quinque Volphardus Harminius imperabat. Inviſa hæc Regi Hiſpaniarum, qui avidus dominationis, potentię, divitiarumque, Orientem hactenus & Occidentem velut utraque manu complexus, Regibus Principibusque terrarum formidabilis erat. Cæterum ubi res mortalium ad ſummum faſtigium venêre, dominandi impotens lubido, fœda avaritia, ſuperbiæque comes crudelitas imperium tenent, exiguis momentis, etiam ab invalidis, ſumma imis confunduntur. Videbat Rex, niſi Batavorum navigationes præciderentur, vacillare fortunas ſuas, interiora viſcera diſcerpi, ſine quîs vitalia Reip. non conſiſterent. Claſſis itaq; tredecim navium, quę mole, milite, commeatu inſtructiſſima erat, mari magno noſtris navigiis, quę octo tantum juncta numerabantur, (cætera namq; inquieto pelago jactata longius aberant) occurrit, quibus virtus & audacia abunde ſupererat, cæterum navium mole, milite & commeatu ab hoſte ſuperabantur. Verum noſtrę naveis agiles, expeditę, huc atque illuc facile vorti circumagique poterant, hoſtiles mole ſua laborabant, & velut reluctantibus aquis pigre agitabantur. Itaq; cum Noſtri viribus nequirent, velocitate freti certis ictibus tormentorum hoſtem verberabant, ſummaq; iterum celeritate hoſtilem impetum eludebant. Pilę hoſtiũ grandiores vel ſupra minores naveis, vel præter volitabant. Ubi vires modicæ, conſilio & ſagacitate juvandæ, quibus plura ſæpe perfici, quam armis, periculo & negotiis compertum eſt. Summa itaque celeritate ſequi, atque iterum ſe ſubducere, non cominus ſed eminus dimicare conſilium firmium ſtetit, ne

magni-

magnitudine hoſtilium navium, & multitudine armatorum hominum obruerentur. Magna utrinque virtute & alacritate dimicatum fuit. Diſſonis militaris & nauticæ juventutis clamoribus, continuis machinarum verberibus tremefactum inhorruit mare, ſtrepitus permixtus hortationes, gemitus ad cælum ferri, telis, cadaveribus naveis utrinque conſtratę, atque inter ea horribili ſpectaculo ſanguine fluitantia tabulata. Tandem hoſtium vicaria, & liburnica noſtra ita dedolatæ, ut aquam immodicam haurirent, fatigatęque pugnando deficerent, ita receptui ſigno dato pari ferme ſorte recedunt. Paucitas tamen Noſtrorum, virtus, confidentia, quæ confertiſſimam hoſtium multitudinem aſpernabatur, in immenſum illorum gloriam auxit.

CAPUT XXIX.

PRÆLIVM VOLPHARDI HARMINII, QUI ANNO CIↃIↃCI *CUM SUMMO CLASSIS IMPERIO IN INDIAM MISSUS FUERAT, CUM CLASSE LUSITANORUM.*

VOLPHARDUS Harminius anno ſexcenteſimo & primo cum imperio navibusque aliquot in Indiam miſſus fuerat, uti difficultates Indicorum commerciorum perrumperet, quas inter dubia hactenus diſcrimina immenſarum divitiarum ſpes penſabat. Cæterum cum ad Sundę fretum perveniſſet, ex Chinenſi parone comperit, Bantamum à Luſitanorum claſſe, cui imperabat Andreas

Fortado Mendoza, arcte obsideri. Constabat hæc classis hostium Lusitanis militibus octingentis, Indis supra mille quingentis præter navalem pubem, octo majoribus navibus, triremibus viginti, quæ in eam rem expedita erat, ut Batavi, quorum industria in commerciis obeundis facile omnium artes superat, urbe pellerentur, cives & incolæ vel prolixis pollicitationibus, vel si id minus succederet, per vim & arma ab eorundem societate avorterentur. Interea Harminius, quanquam quinque tantum naves suppeterent, quæ ferebant homines circiter trecentos, ita ut prætoria hostilis sola plures numeraret, communicatâ cum concilio militari causâ, nihil agendo domum revorti turpe & inglorium judicabat. Ipse militię exactus, virtute & ingenio pollens, prorsus intentus omni modo pubem militarem accendebat. Regulus & cives Bantensium, qui ante annos aliquos Lusitanos expulerant, validâ classe triremes invaserant, omnesque internecioni dederant, se patriamque suam ad extremum armis tegere in animum induxerant suum, atque ideò ingenti diffundebantur gaudio, quod junctis nobiscum viribus obviam nunc ire tantæ potentię non diffiderent. Quippe insolens superbia, immanis avaritia, crudelitasque Lusitanorum inviśa indigenis, qui apud illos fidem, pietatem, postremo honesta atque inhonesta omnia, quæstui esse non ignorabant. Uti autem Batavorum virtus in his oris semper Lusitanis formidolosa fuit, ita nunc iidem extremam fortunam experti. Primo aggressu continuis & certis tormentorum explosionibus, mobilitate navium fisus, classem Lusitanicam fatigare Volphardus studuit, mox etiam propius adortus duas triremes, & naveis

insu-

insuper tres, tam incredibili impetu insultavit, ut victoris lubidini cederent. Plures aliæ machinis convulsę depressæque, aliis ipsi Lusitani violentos ignes injecerunt, ne in nostrorum vel Bantensium potestatem redigerentur. Reliquæ, quę fædâ fugâ se receperant, Amboynam vorsus vela sinuarunt, ubi plures insulanos, quod cum Nostris commerciorum iis intercessisset necessitudo, crudeliter obtruncarunt, succisisque caryophyllorum arboribus spem fructuum in posterum barbaro ritu ademerunt. Volphardo victori occursare passim cives Bantensium, immensis in cælum laudibus tollere, alii fulmen belli, alii liberatorem suum indigetare: undique lætitia permixtusque gratulantium strepitus. Ipse Rex immensas illi gratias egit, immodicisque honoribus auxit. Ille autem mortalitatis memor, animi modestus, Deo Imperatori, qui nutu suo omnia temperat, gratiam tribuendam publice decrevit.

CAP. XXX.

VARIAE VELITATIONES SPILBERGII CUM LUSITANORUM NAVIBUS.

Anno cIↃ IↃ c I. & seq.

GEORGIUS Spilbergius, virtute militari multisque bonis artibus pollens, omnem industriam intenderat, ut in India commercia Nostratium promoveret, malas artes Lusitanorum corrumperet, vires contunderet, profligaret. Pericula longi itineris, quas oras appulerit, cum

rege Candeſiæ, qui illum ſummopere ſuſpexit, nova fœdera, multa inſuper alia, quæ referre noſtrum negotium non eſt, editis diariis continentur. Velitationes nonnullas, & diverſos in Luſitanos inſultus memorare, id otii atque negotii mei eſſe duco. In abitu quidem (anno autem ſexcenteſimo primo ſe mari dederat) cum ubique fortunam urgeret, & oblata caſu conſilio rationique ſubjiceret, primus illi circa Promontorium viride cum tribus Luſitanorum navibus, quas caravelas indigetant, conflictus fuit. In portu Dalenſi ſtationem illæ ceperant, atque adventantes Noſtros excuſſis machinis ingenti turbine globorum ferme obruerant. Etſi autem militibus cupido pugnandi flagraret, Imperator tamen noſter providendo, conſultando, cunctando portum omnibus communem violare nefas duxit. Cæterum iterum atque iterum irritatus, ingens animus, injuriarum impatiens, memorabile incepit facinus. Namq; ſine ullo militari tumultu, vel tormentorum exploſione, liburnica ſua unam hoſtilium ex improviſo aggreditur, innexisque navibus prompta militum manu hoſtem fatigat, urget, atque extrema molitur. Cominus res gladiis telisque promiſcuis agitur, pro ſe quisque ferit, vulnera edit, perturbatos atque alios alibi reſiſtentes interficit. Hinc inde clamor virûm, dum noſtri acriter inſtant, hoſtis contra nititur, & iniquam ſortem ſuperare contendit, ad extremum victo propior ingenti terrore agitabatur. Ubi duæ relliquę hoſtiles naves vident ſociorum rem in extremo ſitam, ſuppetias ferendo majori vi atque potentia bonam occaſionem Noſtris corrupêre, quo minus victoriâ uterentur. Eodem itinere cum ad Ceilon inſulam perventum eſſet,

esset, amicitia regis Fimalæ, qui Lusitanos regno suo ejectos propulsare animo ardebat, Nostris admodum opportuna fuit. Imperator noster, quò certo experimento Regi probaret, se quoque Lusitanorum infestum hostem esse, in gratiam ejus treis illorum naveis, quæ in propinquo morabantur, facile superavit, & Regi incensis navibus captivos tradidit. Eadem expeditione cum prope Sumatram insulam Britannorum classi, cui præerat summo cum imperio Lancestrius, Nostri se junxissent, ingenti studio adnitebantur, uti potentiam Lusitanorum contunderent: comperto autem corbitam ex S. Thomæ insulâ mercibus onustam in propinquo esse, cursu duplici maria iterabant, ne opima illa præda elaberetur. Conspecta procul vela omnium spem atque animos intenderant. Itaque ex sententia Lancestrii omnibus rebus paratis compositisque, Spilbergius Præfectus cum centurione Britanno cursum velocissime eo properant: inprimis quia multum diei processerat, ne obscuram noctem pro præsidio hostes captarent. Relliquę naves, ne hostibus fugiendi copia esset, diverso itinere fortunam maris experiebantur. Cumque nocte illuni densæ tenebræ cuncta tegerent, à nostro Generali cymba armato milite referta investigando præmissa, signo ignibus dato ingentem corbitam esse nunciavit, interrogatosque classiarios quinam essent, silentio transegisse. Imperatum Nostris fuerat, si advorsa pars percunctaretur, fingerent se classem esse Andreæ de Fortado, qui circa Malaccam, Sundam, & Moluccas exterarum nationum negotiationes armata manu prohibere summopere nitebatur. Ad extremum ubi hostis extremam vim parari animadvertit, coäctus

ctus rerum neceſſitudine, ad prælium aſperrimum ſe accinxit. Quanquam autem per treis horas tormentorum incerta jactarentur verbera, & obſcurum noctis, horrorem ingeminaret, hoſtis tamen duabus navibus circumventus ſe ſuaque ingenti diſcrimine tutabatur. Adventantibus etiam cæteris navibus per totam noctem intonuêre machinæ, multi ex hoſtibus confoſſi, vel ſaucii cum ultimo ſpiritu luctabantur, ipſa corbita admodum lacerata, amplius adverſus vires noſtras contendere invalida, cũ ſua conflictabatur calamitate, ubi dies primum appetebat, verſus Malaccam vecta, circa Darienſes inſulas feſſa & nimis quam quaſſata animum deſpondit, velaque ſubmittendo, arbitrio victoris ſe permiſit. Sexcentis illa hominibus, inter quos pueri mulieresque, referta, mille & quadringentorum vaſorum capax, merceis copioſas ſtipabat. Quam luculenta præda fuerit copia mercium oſtendit, queis transferendis per octiduum claſſiariorum impenſæ fuere operæ.

CAPUT XXXI.

DE OCTO LONGIS HOSTIVM NAVIBVS DEPRESSIS VEL CORRVPTIS, ANNO CIↃ IↃ CII.

ADVEHERE in Flandriam octo longas naves infeſtandis Zelandorum oris tentaverat Fredericus Spinola, Ambroſii frater. Nongentos milites virtute validos qua Hiſpanos qua Luſitanos, mille & quingenta ſervitia claſſis numerabat. Verum ea fere tota præceps ierat, fœdis preſſa cala-

calamitatibus. Duæ naves à Britannis in Lusitania prope munimentum Setubalis incensæ fuerant, reliquę in faucibus freti Britannici gravissime exceptæ. Regina enim Elisabetha tres illic naves, uti hostiles opperirentur, locaverat: quîs accesserant quatuor Batavorum, præter eas, quæ Flandriæ oram tenebant. Manselius Eques, qui præerat Britannicæ navi, cui Spei insigne erat, & pinassam comitem habebat, maxima spe medium fretum inter Doveram & Caletum secabat, ne improvisus hostis elaberetur. Neque procul aberant duę Hollandicæ, quæ fiducia plenę Reipubl. juxta ac sibi consulebant, neque alio animo quam cum victoria prælii eventum expectabant. Cæterę in Dunensi statione anchoram fixerant. Tertio admodum Octobris die circa meridiem Manselio visæ hostiles naves, quæ Britannicam oram legendo silente cælo evadere tentabant, quod densior nebula ulteriorem conspectum inhiberet. Neque tamen, uti ex captivis postmodum relatum est, confligere cum Nostris hosti animus deerat, sed Reginæ sublimior navis, quæ veluti castellum mari imminebat, horrorem incusserat: retrorsum itaque remos agitando, obscuro noctis hac vel illac Neoportum vel Duinquerkam se recipere posse sperabant. Verum Manselius evestigio Nostros ad Flandricam oram adventum triremium monuerat, & binę Hollandicæ usque ad extremum diei breves cursus obliquando, ne elaberetur hostis, providebant. Reliquę, quę in Dunensi statione sedem fixerant, explosis tormentis monitæ, uti vento se committerent. Hinc nocte cadente, vela iterum hostes intenderant, quos æquo cursu nostri sectabantur. Manselius ad Gallicam

oram curſum flexerat, ut Flandriam petentes interciperet, exin audito fragore tormentorum, verſus vada, quæ Goeingę appellantur, navigavit, ut hoſti occurreret. Exceptæ primum hoſtiles naves à Dunenſibus crebris tormentorum ictibus, ſed ulteriorem conflictum poſitis ventis tranquillum mare diremit. Interea effugio hoſtes remis maria torquebant, & concitatiore curſu agebantur, ſed ſurgente iterum vento noſtræ velivolę naves quantum poterant inſectabantur. Juxta Goeingas Manſelius unam longarum navium triginta ſimul explosis tormentis ita quaſſavit, ut rupta antenna multi è medio ſublati, plurimi ſaucii horribilem ediderint clamorem: jamque adeo victa, niſi propinquæ quinque triremes ſuppetias tuliſſent, cum quibus omnibus ſimul certamen inire non conſultum videbatur, quod ingenti militum copia ſtipatę eſſent. Interea quatuor Hollandicæ naves ſequendo hoſti incumbebant, & prope Grevelingam hora decima nocturna plenis velis nave quadringentorum vaſorum in unam triremium Gerbrandus Salius fertur. Illam fractâ puppi, lacero clavo, vaſto hiatu mare abſorbuit: trunca tabulata, avulſa puppis, Oceano fluitabant: juncta calamitati alia calamitas, duobus enim ante tormentis, quæ globos ferreos ad viginti quatuor pondo ejaculabantur, ita excepta, ut morientium & ſauciorum gemitus & ejulatus horribilis exaudiretur, &, quaſi una mortis ſpecies non ſufficeret, hinc ignis, illinc aqua extrema intentaret. Centurio noſter, implicitus ſua navi alteri hoſtili, metuens ne multitudo militaris propriam navim obrueret, velis ruptis ab eo curſum deflexit. Verum eadem triremis (quæ Lucera appellabatur) ab Hartmanno & poſtmodum

modum iterum à Salio nocturnis tenebris dure excepta, tandem dehiscens media nocte cum pleraque juventute fundum petiit, ingens clamor & planctus ad astra tollitur, unusquisque lethi fugam quærit, neque invenit, ubique mortis dira imago ante oculos versatur. Præter navarchum Johannem Enoutum, qui primo conflictu lacera puppi in Hollandicam navem transilierat, & pubi nauticæ se immiscuerat, quadraginta Hartmannus centurio incolumes recepit. Nocturno hoc impetu magna hostes cepit consternatio, festinando, agitando omnia, hac atque illac se vertendo, & timorem & periculum auxerant. Idem enim fatum longę navis, cui Padilla nomen erat, cui Johannes Cantius, qui vicarium in classe imperium habebat, extrema intulit. Præter ducentos cæteri aquis mersi: quod plures non reciperentur, periculum vetabat, ne multitudine hostili obruerentur. Reliquæ virtute nostrorum centurionum ita fuere quassatę, ut duæ in litus Flandricum actę restaurari nequiverint; una ad Caletum naufragium fecit profugo milite, Spinolæ autem navis etsi ægre fluctuaret, bonis in mare jactis, servis libertate promissa, Duinquerkam appulit. In his autem devictis navibus longis plurimi Belgæ intolerabili servitute remigia egerant. Præcipue Cailliadus centurio, qui præerat triremi Luceræ, quę prima à Salii naui impetita præceps fundum petierat, gubernatorem navis, quâ Salius ferebatur, captivum antea dure admodum habuerat, qui pedibus machina ablatis mortalitatem misere implevit, dum paulatim dehiscentem cum militari pube navem suam conspectaret. Ita crudelitatis summus minister à Deo immortali punitus, uti à servo

quondam ſuo, nunc vero gubernatore, extrema illi incumberat calamitas. Fata nimirum viam inveniunt, dum cæleſte illud numen tacito impetu omnia ad ſe trahit, & veluti connivendo pro tempore criminibus, poſtremo graviori pæna moram penſat.

CAPUT XXXII.

DE PRETIOSISSIMA LVSITANORVM NAVI, QVAM CARACQVAM INDIGETANT, A BATAVIS SVPERATA.

ANNO cIↃ IↃ c II.

DIFFICILLIMA quæque virtuti jugique induſtriæ cedere Indica à Fœderatis ſuſcepta navigatio abundè oſtendit. Nimirum animus ingens ſupra ſortem poſitus, ubi virtutis via ad gloriam potentiamque graſſatur, etſi reluctantibus mortalibus, ſibi ipſi imperium conſtituit. Multotiens Luſitani Barbarique Batavis perfidiæ incautis ſpecie amicitiæ, qui proclivis eſt decipiendi modus, impoſuerant, nefariis cædibus tumultibusque omnia miſcuerant. Verum pernicioſa lubidine pauliſper uſi, ſuis victi fuere artibus. Noſtri rebus florentibus cum Regibus Principibusque Indię ſocietates novas inierunt, atque adeò Rex Achemi (eſt hæc Sumatrę urbium facile Princeps) quo præſente Houtmannus primus Indicarum navigationum autor anno cIↃ IↃ xc ix à ſcriba transfoſſus fuerat, multumque ſanguinis fuſum, Legatos ad Fœderatos Proceres Principemque Mauritium ſtabiliendę amicitię miſit. In itinere

juxta

juxta Helenę insulam occurrit ingens Caracqua Lusitanica, quæ margaritas & pretiosa mercium ex Goa vectabat, quadringentis hominibus stipata, septendecim æreis machinis instructa. Nostrę binę naves, quîs præerat Laurentius Bicquerus, vix centum & viginti viros numerabant. Una navium nihil hostile molita, hostilibus machinis excepta, nonnullis cæsis vulneratisque, quamquam virium impar concoquere talem ignominiam nequibat, & integram horam suis contra nitebatur machinis, donec altera, cui Zelandia nomen, adventans suppetias ferret. Quibus prædę & vindictę cupidis, queis animi mortalium supra modum incalescunt, ingens audacia increverat. Junctis itaque viribus tanta fiducia vincendi hostilem corbitam adoriuntur, uti illa, cum effugiendi copia non esset, presse versus insulę litora se reciperet, ne ab illo latere circumveniretur. Cæterum Zelandi, quibus nihil mari intentatum, solita solertia littus corbitamque inter se medios dedere, perfossamque & anchorariis funibus incisis fugientem insecuti, vela, rudentes, atque armamenta pertundentes, tandem ad deditionem coëgere, cum ipsa corbita ad tredecim pedes aqua hausta exitio propinqua esset. Victi ita vitæ conditionem accepêre, ut nihil margaritarum, pretiosarumque mercium occultarent, atque uti per triduum continuo sentinam moverent, cui negotio & Nostri, ne pretiosa navis fundum peteret, nonnullis quoque mercibus in profundum jactis, summa ope incubuerunt. Corbita ipsa ad quindecim millia florenorum æstimata fuit. Quicquid hominum erat, ad insulam, quæ Ferdinandi le Rona nomen acceperat, expositum. Ex tabulatis

bulatis lacerę corbitę conſtructâ naviculâ, Præfectus in Braſilię continentem, quæ octuaginta hinc diſſita milliaribus, iter expedivit, quo cætera juventus navibus eodem abduceretur. Ingens hæc hoſtium calamitas: neq; tamen hic ſubticenda Præfecti hoſtilis virtus, an ex indignatione animi ferocia, qui, ubi cognovit paucitatem victorum, ultro mortem affectavit, rogans uti Noſtri in cæteris fidem ſervarent, ipſum fiſtularum globis è medio tollerent. Quippe judicabat cuncta mortalium fluxa brevi dilabi, egregia autem facinora & virtutem etiam poſt mortem immortalia eſſe. Cæterum virtuti ille honos datus, ne jura gentium violarentur: & ferox nautica pubes, quę extra conditiones nemini parcebat, devicto quamvis ultrò petenti extrema intentare, grave dedecus flagitiumque judicabat. Noſtri cum pretioſiſſima corbita incolumes in Zelandiam appulêre, Legati Regis Sumatræ liberaliter admodum excepti, adducti in caſtra Mauritii, qui Graviam urbem obſidione premebat, attoniti moles operum inſuetas illis gentibus ſpectabant. Principi Legatorum, Abdulzamat nomine, qui mortalitatem paulo ante impleverat, honeſtiſſimis exequiis publicum monumentum Medioburgi erectum fuit. Cujus honori Epitaphium ipſum hic ſubſcribere viſum fuit.

HIC. SITUS. EST.
ABDUL. ZAMAT. PRINCEPS. LEGATIONIS.
A. REGE. TAPROBANAE. SEU. SUMATRAE.
SOLTAN. ALCIDEN. RAIETRA. LILLO. LAHE. FELALAM.
MISSAE.

AD.

AD. ILLUSTRISS. PRINCIPEM. MAURITIUM.
CUM. DUABUS. NAVIB. ZELAND. QUAE. IN. DEDIT.
ACCEPERE. LIBURNICAM. LUSITANICAM.
VIXIT. LXXI. OBIIT. ANNO. CIↃ IↃ C II.
PRAEFECTI. SOCIETATIS. INDICAE.
H. M. P. C.

CAPUT XXXIII.

FREDERICI SPINOLÆ CVM ZELANDIS NAVALE PRÆLIUM, ANNO CIↃ IↃ C III.

FREDERICUS Spinola quietis ingloriæ impatiens, quique ex virtute famam inclytam captabat, ingentemque animum incultu atque ſocordia torpeſcere non permittebat, octo longas naves, minores quatuor, populandę Zelandicæ oræ ex portu Sluſano in mare eduxerat. Obſederant portum tres bellicæ, quîs vicaria poteſtate imperabat Juſtus Morus, duæque longę naves; qui ubicunque aliquid infeſti oriebatur, illic adverſus vim armatam parata habebant præſidia. Quarum quatuor (quinta vento iniquo longius aberat, tormentorumque uſui tantum inſerviebat) ultro obvias diſſono nautico clamore, quo initia præliorum accendi ſolent, bipartitò Spinola adoritur. Favebat patrando facinori cælum tranquillum, conſtratumque ferme æquor leniter ſpirantibus auris, remigiis idoneum: aderat præter nauticam turbam, hominum armatorum multitudo

titudo (mille & quingentos jaculatores nonnulli numerant) qui tubis globorum procellam confertim jaculabantur. In Batavorum classe præter classiarios triginta tantum sex milites è Vlissingano præsidio, mentis igneæ, tuborumque flammas ostentabant. Spinola igitur & navium & virorum multitudine circumvenire nostras nitebatur, & crebro insultu modò hac modò illac circumcursabat. Zelandi, qui ferocia ex mari contractâ obdurato animo contra omnia pericula obnitebantur, jam ante metum mortis, quam hostem vicerant. Illi modò propius, modò longius machinis contra niti, armis hastisque cominus vulnera intentare, furioso insultu cunctos territare. Nubes atra ex fumo cælum mariaque obduxerat. Claro die tanquam intempesta & tenebricosa nocte, incerto prælii eventu, per duas horas dimicatum. Ipse demum Fredericus, victoriæ supra modum avidus, & præceps ad explendam animi cupidinem hostili puppi insultat, plurimis vulneribus, etiam mutilo brachio, animam cum sanguine expiravit: cæsorum numerus incertus, alii enim octingentos, alii trecentos tantum numerant. Pauci admodum ex Nostris desiderati, quod densior illorum navigiis compages jactus machinarum eluderet. Cæsâ tantâ hominum multitudine, laceris triremibus, fractis remis, ingens incesserat hostem consternatio, ne adventantibus ex Zelandia navibus, queis summo cum imperio præerat Haultainius virtute & genere nobilis, circumveniretur, atque extrema pateretur. Itaque rectà per aquas eluctati portum Slusanum petunt. Hac victoriâ terror longarum navium, quę nostro mari insuetę remigiis agitabantur, evanuit, comperto etiam

silen-

silentibus ventis, quo tempore nulla velificandi est opportunitas, vinci debellarique posse.

CAPUT XXXIV.

IACOBI HEEMSKERKII CVM LVSITANORVM PRETIOSISSIMA CORBITA PRÆLIVM, ANNO CIↃ IↃ C III.

MEMORABILE quoq; illud prælium Jacobi Heemskerckii cum corbita Lusitanorum pretiosissimâ silentio transmittere nefas duco. Acceperat hæc onus Macauæ, (quod oppidum apud Cantonem amnem in imperio Sinensi Lusitani precario tenent) & pretiosissimis mercibus stipata carinam fatigabat. Merces omnes ultra quatuor milliones fuere æstimatę. Ipsa navis centum & quadraginta vehium octingentos viros, inter quos centum fœminę, vectabat. Cæterum quicquid magnis impensis Divûm largita fuerat indulgentia, id una dies dissipavit & potentioribus tribuit. Namq; ipsa Malaccam rectâ petens, freto inter eandem & Sumatram medio, duabus forsan modicis Heemskerckii navigiis, quæ ducentos tantum continebant milites, occurrit, atque ex suo veluti castello Nostros despectans, secura prælii extemplo classicum canere, sanguineumq; à puppe vexillum expandere instituit. Contemptus hostium frequens initium calamitatis, & superbia ut plurimum primo impetu flaccescit. In tanta rerum humanarum volutatione, pugnæque maritimę cum mari suo fluctuantis in-

certitudine, exiguis momentis ſumma imis vortuntur. Noſtris ſola fortitudo munimentum inexpugnabile erat, quam qui pectori ſuo circumdedit, ſecurus in hac vitæ obſidione perdurat, & per aſpera eluctatur. Atque hoc tum in aliis, tum in hoc prælio periculo rei compertum fuit, quantum valeat laceſſita virtus. Quò enim minores vires, eò acrius furioſo quodam impetu ipſo initio incubuit nautica & militaris pubes. Et vicit quoque fortuna noſtra, quę nitenti, laboranti, ut plurimum ſuccurrit. Continuis enim machinarum verberibus laſſata hoſtilis corbita, tandem uno alteroque loco ingenti ruptura ita perforata, ut jam gurgitem aquarum immodicum hauriret, atque extenſo candido vexillo ſupplex ſe ſuaque omnia poteſtati victoris permitteret. Ex Luſitanis ſeptuaginta cæſi, reliqui, uti conventum fuerat, terrę expoſiti.

CAP. XXXV.

STEPHANI VERHAGII PRÆFECTI IN INDIA CVM LVSITANIS PRÆLIA.

ANNO clɔ Iɔ cIV. & ſeqq.

PRAEFECTUS Stephanus Verhagius, qui ſummo imperio claſſem ductabat, anno admodum milleſimo ſexcenteſimo tertio menſe Decembri in Indias ablegatus fuerat, uti crebris novisque expeditionibus hoſtem fatigaret, conficeretque. Quippe juxta Proceres, penes quos ſuprema Reip. cura, Mauritius Princeps, ingens conſiliis, invictus bello, qui vincendo vitæ ſpatium æquaverat, qua-

qua

quavorſum mare commerciis & armis penetraverat, & cum oriente Sole famam quoque terminaverat, auctoritate ſua ſummopere res Indicas promovebat. Ex diverſis corporibus Fœderati Patres ſocietatem fecerant, cui ſoli publico nomine commercia tractandi poteſtas data. Collata à civibus ad ſexagies centena millia. Ex quo tempore ita laſſatus Oriens navigationibus, uti nervi potentiæ Hiſpanicę ſucciſi, opes Regis exhauſtę fuerint, commerciisque Indicis uſque ad invidiam Batavi florerent. Continuò Patres ſucceſſus ſucceſſibus urgendos, quò à Belgis hoſtilia avorterentur, diſſitis terrarum lacerandam regis potentiam cenſebant. Hinc claſſes claſſibus junctę, maria pene ultra ſolis ambitum ac metas navibus conſtrata, continuo hoſtem laſſabant. Inter cæteros Verhagius initio itineris ſui varia & ancipiti fortuna uſus. Ad inſulam ſtatim Moſambiquam Luſitanis occurrens, navem ebore onuſtam expugnavit, vacuamque ignium furori reliquit, & mox quinque alia minora navigia inſtar ſubiti fulminis repente proſtravit, cum vix hoſti contra feriundi aut conſerendi manum copia eſſet. Goam prætervectus non minimam civibus injecit conſternationem; præſidiarii omnes in armis, claſſis triremium in procinctu, cæterum ſe periculis objectare non auſa. Unam tamen navem mercibus probe onuſtam offendit, verum ubi Arabicam eſſe Meccâ profectam animadvertit, liberam dimiſit. Hinc Cananoris oram legens, & poſtmodum cum Malabarum Rege ad Calecutum percuſſo fœdere, Sumatram, atque inde Bantamum contendit. Ibi commodum Luſitanica navis, quæ magnam vim pulveris pyrii cum annona militari vecta-

bat, Ambonamque petebat, intercepta. Et mox Ambonæ propugnaculum, quod Lusitanus insederat, Gubernator, dum tumultu improviso, atque incertâ formidine cuncta turbarentur, nullum insultum operiens æquis conditionibus dedidit. Neque verò hic trahendum tempus esse ratus Imperator, quod fama in rebus prosperis validissimâ esse solet, Tidoram petiit. Cumque ex advorso arcis Tidorensis naves appulissent, per tubicinem deditionem confestim postulavit. Cæterum præsidiarii, quorum spectata virtus, fidei & obsequii in regem suum glorioſa erat constantia, ingens illud flagitium ducebant, si non usque ad extremum spiritum defensioni incumberent. Propter litus juxta castellum duæ naves Lusitanicę magnę stationem ceperant, quas inprimis debellandas censebat Imperator. Ablegatus eò cum duabus navibus Joannes Mollius vincendi animo, qui primus ad victoriam gradus est, ingenti impetu hostes aggreditur, neque asperitas loci aut insolentia intrepidum militem territabat. Neque hosti animus deerat sua defendendi, machinisque majoribus & minoribus acriter nostros fatigabat. Horrendo strepitu tormentorum mare vicinumque litus cricumtonabat, plureis armati cadebant, idem tamen fervor, eadem ferocia glisccebat. Igitur eò intentior Præfectus ad victoriam niti, omnibus modis hosti imminere, opportunitates omneis captare. Ad insultandum scaphas undique armaverat, quibus undique naves cingebat: Lusitani tandem oppressi, cum nullum in fugâ præsidium esset, incompositi, qua pedes ferebant, divorsi in mare insilientes, naves diripiendas nostris reliqueruut. Per aliquod tempus fluctuasse animo vide-

videbantur, an ignes navibus ſubjicerent: inventi enim plures igniti funiculi, ſtupæque incendiariæ jam paratæ, uti pulveri pyrio injicerentur. Noſtri tormentis inde majoribus duodecim & nitrato pulvere ſuas in naveis tranſlatis, igne eaſdem accenſas ventorum ſimul & aquarum ferociæ commiſerunt. Neq; tamen hiſce conſternatus præſidiarius miles, qui propugnaculum obtinebat, verum eò magis contra advorſa virtutem firmabat. Rex Taranatenſium quatuordecim navigiis, quæ ſingula centum & quadraginta armatos viros continebant, in ſubſidium venerat, qui, ubi ſe terræ dederat, impediturus erat, ne Tidorenſis Luſitanis ſuppetias ferret. Interea Johannes Mollius ſimulatque cum centum & quinquaginta armatis veſtigia terræ preſſiſſet, duos vicos incendere, quo late formidinem incuteret, munitione factâ tormentis arcem ferire, ipſe cum duobus militibus per inſidias nocturna tempeſtate caſtellum explorare. Comperto continuis machinarum ictibus quaſſatis mœnibus aditum patefactum, incitare poſtridie militem, uti acri in arcem inſultu virtutem ſolitam exererent, arce patefacta Luſitanis præceps exitium imminere. Jamque adeo ipſe Mollius imperterritus cum ſex ſeptemve militibus arcem ſuperaverat. Cæterum jam intra mœnia erecto Auriaci vexillo, Luſitani ex editâ turre infenſi ardentibus pilis noſtros territare, fortunam præclari facinoris urgere, omni modo eniti, uti Noſtri iterum arce expellerentur. Mollius, cum in turba cadens dextrum crus fregiſſet, vexillo quoque ignibus fœdato, ad munitionem revorti coactus. Interea idem crure licet fracto, animo tamen validus & impiger, accendere iterum militum ani-

mos, hortari, urgere ſingulos, ut nunc forti paratoque animo eſſent, ferro iter aperiundum. Non virtutem, ſed paucitatem obſtitiſſe, quo minus conſummarent victoriam. Nunc centum & quinquaginta armatos homines propulſare hoſti fatigato grave atque iniquum certamen fore. Ita Noſtri incitati, poſtquam majore vi hoſtes urgent, undique clamor ingens oritur. Cæterum præſidiarios aſperrimum prælium non territabat, ſed infenſi intentique eminus tela jaculari, occurſanteis vulnerare, denique Noſtros expellere. Cum non opportuna hæc res cecidiſſet, naveis ad machinas excutiendas reverſæ, turrim potiſſimum, unde ardenteis pilas Luſitani torquebant, continuis ictibus verberabant. Erat in illa turri ingens vis tormentarii pulveris, qui partim incuria hoſtium, partim continuo machinarum impetu ſubito ignem concepit, horribilique ſpectaculo ſimul cum viris turrim in ſublime jactavit, tanto fragore, uti diſſilire terrarum compages videretur, mare & tellus late contremiſcerent, & veluti per attonitas nubes lapides, arma, tela, viri, trunca capita, artusque latè diſpergerentur. Ita Caſtellani repentino metu perculſi ſibi ſuisque deditione conſuluerunt, cum Batavi novum inſultum tentarent. Ipſa arx diruta & ſolo æquata, Tidoræ rege, qui nova cum Batavis fœdera ſimulabat, poſtulante, quam tamen ſervari, præſidioque augeri ſatius fuerat. Luſitani, quorum quingenti adhuc cum uxoribus & liberis numerabantur, naviculis tum ad alia loca, tum maxime ad Philippinas delati.

CAP.

CAP. XXXVI.

PRÆLIVM NAVALE INTER PETRVM CVBIARRAM PRÆFECTVM CLASSIS HISPANICÆ, ET HAVLTAINIVM ZELANDIÆ ARCHITHALASSVM,

ANNO cIↃ IↃ c V.

PEREGRINUM militem, qui duodecim constabat centuriis, rebus firmandis tutandisq; in Belgium transferre Regi consultum videbatur. Conductæ Olyssipone decem naveis, vectandis mercibus suetę, celocesque aliquot, quò milite refertæ tutius imponerent. Classi præerat Petrus Cubiarra, militiæ Sarmientus ejusdem prænominis, militię impiger & vetus tribunus. Vere adulto sub finem mensis Maii simul cum aliis compluribus onerariis navibus mare ingressus, duodecimo die Junii propter Britanniam velis impellebatur. Quo comperto Zelandię architalassus Haultainius, in parteis consilii convocato Joanne Gerbrandi, qui secundam in classem potestatem obtinebat, constituit, quadripartito classem distribuere, binę alæ Doveram & loca inter, quæ Cingula vulgo indigetant, Swarteneſſam & Caletanam rupem, præpedirent, ne Flandrica litora Hispanus attingeret, cæterę juxta Britanniæ oram, si illac appelleret, hostem opperirentur. Binæ naveis hostium, quę onerarias se dissimulabant, binis nostratium circa Cingula occurſant, jussoque, uti hostileis vela submitterent, hosteis primo surdis ad postulationes

auri-

auribus, ſilentio cuncta tranſigebant, dein, ubi nullum effugium vident, ex fiſtulis militaribus denſam glandium procellam in noſtras naveis immittunt, quîs & damnum modicum inflixêre. Noſtri machinis omnibus admotis ita intonuere, uti navium una globis perforata, rimis fatiſcens, ne aquis abſorberetur, præcipitem ſe in vicinum litus egerit. Plureis cæſi, cæteri nando, aut ſcaphis Anglorum excipientibus, evaſêre. Aliam navem juxta portum Doverenſem cum duæ Zelandicæ premerent, ſicco arenarum ſimul hæſêre. Cæterum hæ leviores ultro fluitantes, haud difficulter vadis emergunt, atque acerrimo inſultu hoſtilem oppugnant, capiuntque. Cuncti, uti juſſum fuerat, in profundum præcipites aguntur. Prolixe milites, & quidem veterani, cum ingloriam inter aquarum vortices mortem imminentem ſpectarent, de Fortuna ſua conqueſti, dictitantes, ſe, quod difficillimum inter mortales, mortem aſpernari, verum hoc dolere, ſe veteranos milites, totiens adverſa & ſecunda ancipitis belli expertos, non ferro non acie occumbere, qua liceat etiam ante extrema vindictam ſui agere, & mutuis vulneribus cadere, verum aquis gloriam militarem ſimul cum vitâ obrui. Cæterum nullis verbis flecti miſericordia potuit, adeò uti & illi qui occultati fuerant eidem violento fato ceſſerint. Supra ducentos miſerabili ſorte aquis hauſti periêre. Poſtridie & aliæ naves eadem ferocia ſuperatæ, una incenſa inter aquas & igneis luctabatur. Ex captivis bini quique à tergo ſibi invicem alligati in mare jactabantur. Quod cum unus indignatione æſtuans oculis ardentibus conſpiceret, memorabili facinore, non opus eſſe inquiens vinculis hoſtilibus,

ſtilibus, præcipiti gradu in mare ſponte deſiliit, & gloriæ avidus mortem ſibi liberam properavit. Reliquę naveis etſi ſupra modum quaſſatę, plurimis cæſis ſauciisque, (quippe continuò tormenta noſtra fulminabant) vento ferente ægre portum Doverenſem tetigere. Ex arce Britanni acriter majores globos in Noſtros jaculabantur, quod juxta litus portumq; ſuum prælium conſerere illicitum dictitarent. Accuſantibus poſtmodum Anglis jura portuum violata, reſponſum à Batavis, impetum præliorum, quando mens concita & extra ſe poſita hoſti incumbit, cohibere non eſſe in manu pugnantis, hoſtem, ſe non verò vicina telluris reſpexiſſe. Hæc clades dimidiam partem virûm naviumque conſumpſit. Qui ſuperſtites terram tetigerant, litore tenus in tuguriis degentes, omnium inopes, miſerabilem vitam tolerabant, complures vulneribus vel morbis confecti, inter quos & ipſe Cubiarra, extremum diem clauſerunt.

CAPUT XXXVII.

LAMBERTI PVLCHRI CVM PRAETORIA DUINKERCANORUM MEMORABILIS CONFLICTVS,

Anno cIↃ IↃ c v.

Lambert i quoque centurionis, cui Pulchri nomen adhæſit, pulcherrimum & memorabile facinus hic ſubticendum non videtur. Treis naves hoſtiles, infeſtando mari & prædę inſectandę, menſe Decembri Duinkerca ſolverant, inter quas Prætorię Adrianus Theodori militię maritimæ

ritimę vetus infractæque virtutis, ſummo imperio præerat. Joannes Gerbrandi, qui inter Noſtros vicariam maridignitatem obtinebat, juxta cum Lamberto veſtigia premens, inſectandis navibus fruſtra ex parte operam intenderat. Duabus elapſis, Prætoriam Lambertus ſero diei nactus (erat is Decembris undecimus) primo tormentis utrinq; tonantibus, dein retinaculis injectis maſcula virtute cominus prælium occepit: bombardis, enſibus, lanceisque, quæque alia inſtrumenta furor militaris miniſtrat, acerrime dimicatum, ita ut ſanguine fluitantia tabulata tingerentur, cadavera in mare volverentur. Neque tamen hoſtis animum deſpondit, advorſis vulneribus plerique cadebant, cæterum ubi & Ioannes Gerbrandi adventaret, inſertaque antenna anterioris veli poſticæ arbori, eandem frangeret, Imperator hoſtilis ventre tenus lancea transfoſſus terrorem auxiſſet, deditio properata fuit. Ex captivis octuaginta novem (centum & viginti ſex armatis viris navis ſtipata fuerat, cæteri occubuerant) ſexaginta infœlici ligno ſuſpenſi, cæteri vel veniam meruerant, vel ad ſupplicia ducti, renitente nemine, evaſerant. Ex Noſtris treis tantum cæſi, duodecim circiter vulnerati fuere.

CAP. XXXVIII.

MALACCÆ OBSIDIO, ET PRÆLIVM NAVALE INTER MATELIVIVM ET LVSITANOS, Anno cIↃ IↃ cvi.

REx Hiſpaniarum, cum quaquavorſum non tantum publicis Noſtratium, verum etiam privatorum opibus

bus fortunę ejus, qua ſol oriturque caditque, lacerarentur, viſcera ac nervos imperii, quîs univerſum ferme orbem territabat, præcidi ſummopere indignabatur. Neque enim amplius nomen regium ac ſplendor ſe ſuſtentabant, cum Batavi, Mattiaciq; mari innutriti aſſiduo contactu lucri ac ſucceſſu utrumque ſolem fatigarent, neque ultima terrarum, ipſiusque naturæ occultantis ac fugientis abdita à rapinis prohiberent. Anno itaque milleſimo ſexcenteſimo & quinto ſeveriſſimum edictum promulgat, quo Hollandis Zelandisque ſub pœna capitis, atque amiſſione bonorum, utriuſque Indiæ navigationem interdixit. Cæterum fruſtra prohibet, qui inhibere nequit, neque bella minis ſed viribus geruntur, ſuſtentanturque. Atque adeò, uti omnia fortitudo periculorum ſecura perrumpit, eò acrius invictus animus atque lucri ingens cupido, quæ omnium mortalium inprimis mercatorum animos in tranſvorſum rapit, ad fortunam ulterius experiundam ſummopere ſtimulabant. Eodem itaque anno Curatores ſocietatis rebus ſuis intenti novam claſſem expedire, neque ſumptibus neque laboribus parcere, atque ut animo cupienti nihil ſatis feſtinatur, omni ope niti, ne cunctando bonam occaſionem corrumperent. Inſtructiſſima itaque claſſis navium duodecim mari committitur. Præfectus illi erat Cornelius Matelivius, militię impiger, quem ſocietatis quoque conſortem non tantum publica ſed & privata commoda ſummopere incendebant. Et vix ea ſolverat claſſis, cum anno proximo ſub imperio Pauli à Caerden octo naves iterum commeatu, & milite probe inſtructæ in Indiam miſſæ, ut in præſidiis ibi vitam agerent. Magna quippe conſilia,

ubi mature perpensa, impetu valida sint, cunctatione languescunt. Cæterum de Matelivio ejusque molimine, & cum Lusitanis acri prælio, nonnulla hic in medium adducere, res ipsa & locus postulat. Cum itaq; anno CIↃ IↃ C VI sub finem Aprilis ad auream Chersonesum, in cujus extremitate ad maris sinum Malacca obtenditur, classem appulisset, contra hanc Lusitanosque periculum facere audax illius consilium fuit. Cum autem proxime ad urbis mænia accedere nequiret, frustra machinarum verberibus impetebat. Rex Ihortanus, qui Nostris fœdere junctus erat, cum aliquot triremibus bis mille Æthiopes subsidio miserat. Octingenti, qui in tellurem se dederant, suburbio incenso incolas in ipsam urbem se recepisse compererunt. Nostri nihilominus cum auxiliaribus Indis oppidanis imminere, verum ubi propius accessissent, ibi verò præsidiarii Lusitani virtutem ostentare, urgentes pellere, maxumâ vi cædere, ita ut plureis Nostrûm sauciati, vel letaliter icti occubuerint. Pulsis tamen in urbem Lusitanis, quatuor suggestibus in ipso suburbio erectis, machinarum nostrarum strepitus ad cœlum ferri, horrendoque mugitu pilas ingentes in urbem ejectare, promptis paratisque ad arma præsidiariis, qui mænia defensabant, & undique sua tela jacientes vibrabant. Ubi neque ita res procedit, & classis Lusitanica Goâ quotidie expectaretur, machinæ bellicæ cum sauciis, & ægris ad naves reductæ. Cæterum trecenti in litore relicti strato per fluvium ponte proximum cœnobium invadunt. Hinc ulterius meridiem vorsus, infesto per paludes itinere, centum & quinquaginta nostrates cum quadringentis Æthiopibus, derepente opportuno loco castra metati sunt,

ſunt, quâ urbs minus valida invia paludum proſpectabat. Oppidani, qui ſe locorum aſperitate ſatis munitos credebant, inſolita re perculſi nihil ex virtute militari intermittere, Noſtri contra niti, namque ibi propugnaculo ſubito excitato tormentisque diſpoſitis, fruſtra tamen deditionem poſtularunt. Hinc per occultos tramites nocturnis tenebris tecti loco, qui vix ſexaginta paſſus ab urbe diſtabat, vallum dimidiatę Lunę formâ tanta celeritate excitarunt, uti ope divûm aggeſtus illuc ceſpes videretur. Dum ita hoſtibus imminent, magnitudo tanti incepti adventu Luſitanę claſſis ſuppreſſa, quæ robore militum & magnitudine navium ferox perniciem Noſtris moliebatur. Quanquam autem militaris pubes, quæ immensâ cupidine incepta patrandi exagitabatur, divelli ſe inde ægre pateretur, tamen & commune periculum & pugnandi iniqua neceſſitudo eos ad naveis reduxit. Ubi Fœderatos ſe recipere Luſitani animadvertunt, Civitas ingenti gaudio permota virtutem intendere, noſtris tanquam victis inſultare, caſtris direptis deprehenſos cædere: verum ubi Noſtri advorſa iterum corpora oſtentant, turpi fuga quinquaginta plus minus cæſis in urbem acti. Ita inſectandi cupidine feſtinatum prælium pari celeritate & formidine deſeruerunt. Dehinc Noſtri naves ingreſſi, levatis die decimo & ſeptimo Auguſti anchoris, hoſtili claſſi obviam eunt, quę quatuordecim immenſę horrendæque molis navigiis, totidemque minoribus, nec non triremibus quatuor, pigro motu ipſi Oceano gravis aquas pulſabat. Summum in illam imperium Prorex Goæ obtinebat. Ille, uti ſecura eſt credulitas, viribus fretus victoriam animo volutabat, ipſe imperterritus, atque

imperandi in iis locis vetus. Naveis, quæ è vaſto mari tanquam caſtella eminebant, multis tormentis graveis, continuis machinarum ictibus noſtris erant terribiles. Centum & quinquaginta ictus eâdem veſperâ intremiſcente Oceano numerati. Poſtridie, cum una ex Noſtratium navibus, cui Naſſoviæ nomen, à cæteris foret ſejunctior, cui propter malaciam maris difficulter ſuccurri poterat, hoſteis opportunum circumveniendi illam tempus rati, facibus infeſtisq; ignibus propemodum obruerunt, ita ut claſſiarii, cum res ſuas afflictas viderent, ſcaphis ægre periculum effugerint. Ipſa quoque Matelivii Prætoria navis, cum aliâ, cui Medioburgum nomen, à tribus majoribus Luſitanorum navigiis circumventa, ferme cum exitio luctabatur, niſi adventantes ſocii ignita tela in unam Luſitanarum tam confertim ejaculati fuiſſent, ut exorto incendio, horribili ſpectaculo, ignis magna vi agitatus obvia quæque corriperet. Ita imperator, qui & fortiter rem geſſerat, præciſis anchoralibus funibus, furori ignium ſe ſubduxit. Cæterum Medioburgum navis ita arcte duabus hoſtium innexa erat, ut diſſolvi nequiret, & ſimul cum hoſtibus violentis ignibus deflagravit. Claſſiarii noſtri pleriq; imminenti ſe ſubduxêre periculo, Luſitani igneis vitando, & in profundum proſilientes contrario elemento perierunt. Prælio hoc uſque ad medium diem prolato, reliquum tempus reparandis navibus, quæ utrinque ſupra modum labefactatę erant, datum fuit. Die deinde vigeſimo Auguſti, Imperator hoſti, qui anchoris fixam claſſem tenebat, occurſare atque ad prælium laceſſere in animum induxit ſuum; eò magis, quod militaris pubes eò ſponte ferebatur, qui omnes labores &

peri-

pericula consueta habebat, tum quod illi, qui inferunt periculum, fortiores videantur. At Lusitani, vel quod formidine agitarentur, vel quod non satis reparatis navibus magis opportunum tempus opperirentur, Malaccam versus tendêrunt. Nostri interea apud vicinos Reges divortere, cuncta officia humanitatis intendere, providere ne quid hostis rerum novarum moliretur, reparandis navibus & commeatui operam summa vigilantia præstare, saucios & ægros reficere, denique nihil militaris exercitii intermittere. Lusitani deinceps relictis ad Malaccam septem navibus, cæteris probe expeditis mari se committere, Fortunam iterum experiri, atque extrema Nostris intentare. Nunquam enim magis impigre ad certamen itur, quam ubi pro imperio, salute, divitiis, quæ prima mortales ducunt, dimicatur. Batavi intellecto hostem in propinquo esse, expeditâ classe occursantes, ingens horridumque prælium iterant. Imperator cum duabus aliis navibus, Lusitanorum navem, quæ paululum separata à sociis iniquis fluctibus agitabatur, summo impetu adoritur, superat, in profundum protrahit, occisisque pene omnibus, sociis, qui in altera navi erant, comburendam relinquit. Ab altera parte, Præfectus qui vicarium in classe nostrâ imperium obtinebat, à duabus Lusitanicis corbitis apprehensus, non prius utramque reliquit, quam una igne corrumperetur, altera continuis machinarum ingentiumque pilarum verberibus perforata, atque armamentorum usu destituta temere per incerta fluctuum oberrans, & mox iterum comprehensa eandem sortem nacta fuerit. Et Fortuna hostibus advorsa non simpliciter nobis indulsit. Nam-

que

que & altera Dîs faventibus ſumma vi & virtute militari Noſtratium expugnata, in poteſtatem noſtram venit. Ita rebus afflictis, metus ingens & conſternatio hoſteis concuſſit. Interea Imperator animo fluctuans, cum ad portum Malaccenſem curſum flexiſſet, an relliquas hoſtiles naves, quæ ibi ſedem fixerant, adoriretur, Luſitani, qui omnia extrema metuebant, navibus ſuis igneis immiſere, pulcherrimo Fœderatis ſpectaculo, qui quæ vix ſperare auſi, hoſteis faces propriis navibus injectantes oculis uſurpabant. Ita terribilis claſſis, quæ viribus ſuis tumida & ferox extrema minabatur, funditus deleta, ingens gaudium Batavis cumulatò auxit. Primores ex captivis ſex millibus coronatorum redempti, gregarii, cum Noſtris, qui Malaccæ in vinculis erant, permutati.

CAP. XXXIX.

GEMINA EXPEDITIO GVLIELMI HAVTAINII, ET PROPRÆFECTI REINERI NICOLAI MEMORABILE PRÆLIVM, Anno cIↃIↃCVI.

INITIO hujus anni nobilem claſſem viginti quatuor navium Batavi expediverant, uti ſub imperio Hautainii vel Americanam claſſem interciperent, vel Luſitanicis, quæ in Indiam iter moliebantur, exitum præcluderent. Hautainio ventis advorſantibus, & iniquo mari tardum iter, ex direptione mercatoriarum navium, & populationibus vicinorum litorum, præda haud modica ſuppetebat. Luſitanicæ

naves

naves mare ingredi non auſæ: de Americanis nuntii allati, unam argento ſtipatam funeſto prælio Batavicæ implicitam ſimul conceptis ignibus conflagraſſe, treis fœdis tempeſtatibus depreſſas, quatuor Havanæ portu opum inanes (hoc enim ſubdole addebatur) navigandi opportuna tempora opperiri. Ita alimentis quoque deficientibus, quia vectoriæ noſtrę naves obluctantibus ventis adferre nequibant, maturatus in Patriam abitus. Æſtate inclinante novata iterum ſub ejuſdem Hautainii imperio navalis expeditio, uti viginti quatuor navigiis, quorum ſex tempeſtas in divorſa abripuit, adventanteis ex India & America naves excipere. Cæterum ex improviſo Ludovicus Fiaſciardus octo galeonibus, quarum moles ferme invicta terrorem incuſſerat, occurrit: aderant præterea plureis longæ naves, ſed quæ propter aſperitatem venti inutiles juxta litus ſtationem elegerant. Hic erat ille Fiaſciardus, qui inermibus ſeptem navibus, quæ ſali quærendo deſtinatę fuerant, juxta Americę inſulas ſuperatis, crudelitate nobilis quæſitiſſimis ultimis ſuppliciis in nautas ſævierat. Vnam galeonum ferocia horridus ille Præfectus in Zelandicam vicariam, cui Regnerus Nicolai præerat, impingit, tanto vicinarum navium horrore, uti propius accedere non auſę pugnam ex longinquo aſpectarent, & mox oborta nocte ingenti dedecore retrò cederent. Regnerus tanto periculo à ſociis relictus, quanquam extrema imminere non ignoraret, fretus tamen ſua militumque virtute, quantum poterat armis contendebat. Atque adeò ſolus per duos integros dies, arbore disjecta, nave ſupra modum truncata, plerisque ſociorum cæſis, impiger animi, conſilioque potens hoſtilem

impetum ſuſtinuit. Denique, dum cæteri ſuppetias ferre cunctantur, metuendumque eſſet, ne navis lacera fluctibus ingruentibus deprimeretur, ne ab hoſte gravius in captivos conſuleretur, Imperator, claſſiariique extremum auſi facinus, ultro horribile genus mortis, incenſo nitrato pulvere, elegerunt. Primo itaque ſupplices Deum immortalem precati, quod mortem, ne ludibrio & crudelitati hoſtium ſe ſiſterent, prævorterent, tandem veluti à ſupremo numine impetrata venia, ſe ſuaque omnia, funiculo ignito pulveri immiſſo, ignibus feralibus ſubjiciunt. Diſſiluere immenſo fragore compages & tabulata navis, mali antennæque in ſublime raptę, miſerandaque fortuna truncata corpora, ſparſim disjecta, ex alto iterum mari injecta fluitabant. Sexaginta homines violentia fati oppreſſit. Duorum ſemiuſtulata corpora in hoſtilem navem dimiſſa, horrentibus tale ſpectaculum ipſis hoſtibus, veterem in vultu ferociam, moriendique contumaciam retinuerunt. Ita neque victi ab hoſtibus, de ipſa morte, à qua ipſa natura cuncti admodum homines abhorrent, triumphum egêre.

CAPUT XL.

DE NOBILISSIMA VICTORIA IACOBI HEEMSKERCKII IN FRETO TARTESSIACO CIRCA GIBRALTARAM,

ANNO cIↃ IↃ c VII.

CONVENERANT Patrię Proceres ad petitionem Archiducis, uti de pace, induciisve colloquia conferentur

rentur, verum jam ante classis triginta majorum minorumque navium mari commissa, uti ipsos Hispaniæ nervos peteret. Princeps classis erat Iacobus Heemskerckius, navigatione ad Polum arcticum nobilis, quique ante tres annos in India ingentem corbitam Lusitanorum, quæ ultra milliones aliquot æstimabatur, incredibili virtute duabus minoribus navibus expugnaverat. Cæteri omnes præfecti classiariique, tanquam Argonautę, mari & procellis innutriti, ab horrido elemento marinam fortitudinem conceperant, & periculorum consuetudine omnia pericula contemnebant. Inerat Imperatori contemptor mortis animus, præliorum maritimorum sagax, victoriæ avidus, sine temeritate audax: atque adeo vultu ad civilem vitam comsito intimis pectoris penetralibus militarem virtutem occultabat. Ipse victoriam certam sibi spondens, non tam pecunię, quam ingenti animo aspernabatur, sed heroïcę glorię avidus, nullum affectaverat stipendium, nisi partem demum octavam ejus prædę, quę quinquaginta florenorum millia excederet. Vigesimo & quinto die Martii Tessalia classem solverat, decimo Aprilis Tagum flumen, quod ultra Ulyssiponem in mare Oceanum excurrit, penetraverat, eo animo, ut naves Lusitanorum expugnaret, deprimeret, fœdarereтve. Sed comperto corbitas plerasque se mari dedisse, & quę secuturę essent, nondum paratas, sedecim Galeones Indiam Occidentalem, decem cum pluribus aliis bellicis Fretum Tartessiacum petiisse, ut navibus mercatoriis Belgarum, quę ex mari interno Oceano se committerent, insidias tenderent, huc continuo vela direxit, prout venti ferrent, modo Mauritaniæ, modo Hi-

ſpaniæ oram propius accedens. In faucibus Gaditanis, concilio militari inito, viſum neutiquam dies prolatando, opportunitates corrumpi opportere, primum conſulto, dein mature facto opus eſſe. Decretum itaque, uti Præfectus Heemskerckius, & centurio Lambertus, cui Pulchri nomen adhæſerat, vir natura imperterritus, vehemens, & manu promptus, ſimul in Prætoriam navem impetum facerent, Propræfectus Alteraſſius cum centurione Braſſio vicarię Hiſpanicę claſſis ſe innecterent, atque ita juxta ordinem ſingulas bini adorirentur, præterea uti duæ celoces cum actuario navigio poſt principia ſtarent, & huc atque illuc ſe vorterent, quo hoſtileis naves, ſi elaberentur, oppugnarent, annonariæ naves extra certaminis periculum conſiſterent. Addidit Præfectus homo militariter facundus maſculam orationem, qua ſingulorum centurionum, ſociorumq; virtutem incendebat, uti fortitudinis priſtinę memores generoſum, & nunquam antea tentatum in ipſis Hiſpaniæ finibus ſecũ facinus aggrederentur: præſtare emori per virtutem, quam ſocordia atque ignavia tam bonam occaſionem corrumpere: victoriam in manu eſſe, ſi modo vincendi animus adſit. Difficile eſſe Batavis mari non vincere, quibus ubiq; virtus Fortuna non ſimpliciter indulſiſſet. Hoc demum prælium cruento bello finem impoſiturum. Naviũ magnitudinẽ ne extimeſcerent, quæ pigro motu exitio propiores eſſent, eaſdemq; certis tormentorum ictibus fatigari poſſe. Adeſſe hoſti milites maritimis prælis inſuetos, heic nautas marisq; indigenas pugnaturos. Nunc hoc agendum, ut ſerio Hiſpani, pacem, quam affectare videntur, cupiant, honeſtasque conditiones offerant. Non tam Imperatorem ſe, quam

se, quam militem; uti Principem classis, ita principem in adoriendo futurum, se modo sequerentur; timidis cuncta advorsa, in præliis audaciam pro munimento esse, plura non addere, ne de virtute dubitare videretur. Assensêre cuncti centuriones, sociiq; & sacramento se obstrinxerunt, nunquã se mandatis Imperatoris defuturos, pro victoria vitam & mortem juxta æstimantes, vel hostium vel mortis victores fore. Quibus peractis tormentorum præfecto imperatum, ne, antequam archithalassi Hispanici lateri proxime adhæreret, ulla tela nisi ex contiguo in hostem jacularetur, neque proreta prius anchoras jaceret, ut gubernator ipse clavum dirigeret, denique promissi Philippei centum illi, qui primus aplustre Imperatori classis Hispanicæ sustulisset. Hinc implorata cælesti ope, cum pro more in signum fidelitatis & constantię singuli vini haustum sumpsissent, plenis in classem Hispanicam velis vigesimo quinto die Aprilis delati sunt. Consistebat illa juxta urbem Gibraltaram in Freto Tartessiaco, (veteres Carteiam appellabant montis Calpes radicibus adsitam, ubi ille se theatri in speciem cavans tutum maris recessum navibus exhibet) navium numero & robore, denique militum frequentia formidabilis. Naves majores viginti & tres, inter quas novem galeones, præter negotiatorum aliquas, quę antea prædæ cesserant. Classi præerat Ioannes Alvarezius Avila, militię maritimę vetus, & quondam Ioannis Austriaci in Naupacteo prælio comes, cujus prætoria ingentis molis octingentorum vasorum erat, & præter classiarios quingentis stipata erat militibus, instructa viginti & uno tormentis æneis, horror & propugnaculum Oceani: tota classis ultra quatuor millia

hominum numerabat. A propugnaculi quoque grandioribus machinis, ubi juxta ſtationem fixerat, multum ſolatii expectabat. Ubi Alvareſius noſtros adventare vidit, illorum conatus Hiſpanico ſupercilio ridebat, ſicuti regię potentiæ miniſtri regios quoque ſibi arrogant ſpiritus, ante victoriam tumidi, præferoces, atque adeò vinci poſſe contumelię ducunt. Iudicabat ille totam Batavorum claſſem ne quidem cum ſua Prætoria comparandam: percunctatus nautam Batavum, quem forte captivum habebat, ecquid tantum facinus auſuri Noſtri viderentur, reſponſoque, ſe vel populares ſuos non noſſe, aut præliandi animo mox præſto futuros, indignans animoque æſtuans, tam pręceps & temerarium conſilium, ut illi videbatur, ludibrio habuit. Verum arrogantia mox in metum ceſſit, cum enim extenſis velis recta in Alvareſium ferretur Prætoria Noſtrorum navis, diſſectis anchorariis funibus in interiora ſe recepit. Prætervectus Heemskerckius proprætoriam hoſtilem, quę cum tribus galeonibus principia jam tenebat, maximo inſultu Principem claſſis aggreditur. Hinc circumfuſo vaſto clamore nautica pubes utrinque fremere, hoſtis primo in Noſtros globos jaculari, ſed nullo fere detrimento, contra Præfectus noſter tormentis, quæ ad proram poſita, graviter hoſtilem navem quaſſare, denique jactis anchoris ſe eidem innectere. Tum horribile ſpectaculum unuſquiſque edere, plures utrinque vulneribus acceptis non tantum cum hoſte, verum etiam cum morte colluctari, niti modo ac ſtatim concidere, amputata virorum membra paſſim jactari, & quia recentibus & calidis vulneribus non ſentiebatur dolor, mutili quoque arma non omittebant, donec

nec languentes effuso sanguine corpus inclinarent, atque procumberent. Nunquam majori virtute pugnatum. Dum utrinque tela volant, secunda hostili explosione majoris tormenti globus, juvenem, qui ejaculari sclopo suo ferrum tentabat, medium secuit, Præfecto totum fere sinistrum pedem à superiori parte laceravit, ita ut subito laberetur, eodemque ictu dextra manus alteri ablata, qui tormentum fune ignito accendebat. Ita invictus animo Imperator, virtute nulli secundus, lorica indutus, gladium dextra vibrans, certus victoriæ, ne quidem à morte victus, ingenti spiritu fatali necessitati cessit, neque virtus ante, quam vita illum destituit, atque adeo, antequam mortalitatis leges impleret, imperandi sortem in persequenda victoria alteri reliquit. Ne autem pubis nauticæ animi fatiscerent, atque, uti fieri solet, pugnantium fervor langueſceret, ultima hora glorioſissimi Herois à centurione Verhoevio clam habita fuit. Sicuti enim militaris juventus etiam conclamatis rebus Imperatore incolumi fortitudinem crebro humanam excedit, ita ubi exceſſisse apud eos divulgatum est, subito confusis imperiis animi liqueſcunt. Interea tormenta omnia Prætoriæ nostræ navis à dextro latere in Hispanicam intonuere, contra Hispani sclopos confertim ejaculari, queîs densa telorum nube nostri respondebant. Clamor permixtus hortatione, lætitia & dolore, prout Nostris vel hostibus strages incubuerat. Centurio Lambertus, sicut imperatum antea fuerat, Prætoriam quoque hostilem adortus, puppim ex prora sua ita tormentis quassavit, ut ferreæ pilæ per ipsa adigerentur penetralia, dein lateri connexus tam animose cum hoste, qui acerrime resistebat, conflixit,

ut Ba-

ut Batavi, & qui ſolo & cælo acrius animantur Mattiaci, inſtar leonum, qui excandeſcentes obvia quæque lacerant, manus conſeruerint. Plerosque vindictæ quoque privata cupido accenderat, qui captivi durius in vinculis habiti fuerant. Interea Propræfectus Alteraſſius, ita uti conſtitutum fuerat, advorſo vento Proprætoriam hoſtilem nanciſci nequibat, ſed duas galeones eveſtigio corrupit, reliquis ingens damnum incuſſit. Centuriones Adrianus Roeſtius, & Marinus Chollartus, aliique, conſpecto Alteraſſium non poſſe velis proprætoriam attingere, incredibili impetu, atque præcipiti inſultu in illam feruntur. Tum tormentis undique majoribus & minoribus cuncta reſonabant, denſa globorum tempeſtas navibus incumbebat, feralibus ignibus fumo mixtis conſpectus adimebatur, adeo ut medio die nocturni certaminis ſpecies videretur, apluſtrique ab uno ex ſociis ablato, poſt conflictum dimidię horę proprætoria conflagravit. Verum igne concepto, fuſum quoque fuit in vicinas noſtras incendium. Jamq; vela quarundam exarſerant, quanquam omni ope ſubducere naves Noſtri niterentur: induſtria tamen & agilitate nauticę pubis ignis ſuppreſſus eſt. Verum hoſtilis navis, dum nullo renitente ignis eundo robur acquireret, tota uſque ad ima tabulata exuſta fuit. Nonnulli ex militari & nautica turba ignibus, alii aquis perierunt, vel natantes globis trajecti ſunt. Ardente Proprætoria, Henricus Longus cum aliis quibuſdam navium Præfectis galeonem adortus, tormentis undique adactis etiam extrema intentabat: verum ille humeris transfoſſus occubuit. Ceterum & ipſa galeo, vexillo, quod nomine vicarię aſſumpſerat, adempto, ita continuis tormentorum

ictibus

ictibus contusa est, ut & ignem conciperet, eodemque penitus absumeretur. Altera non minori violentia quassata, ruptâ compage aquas hauriens depressa fuit. Interea vicaria navi Alteras sius adventabat, qui, uti & alii centuriones, immissa globorum tempestate horrendum in modum intonuêre, sed, secus atque ab Archithalasso constitutum fuerat, cominus non conflixêre. Peccatumque in eo fuit, ut incerta ictuum non tantum hostiles naves, verum & nostras læderent: sicut & hostilibus tormentis ex urbe & castello peractum fuit. Dum hæc ita aguntur, & Prætoria utrinque navis acerrimum iniret certamen, hostiles reliquæ acriter missilia & tela in nostros vibrabant, non tamen propinquantes se navibus implicare satagebant, quod neque Nostris contra mandatum Heemskerckii cordi erat, sed denso globorum nimbo se invicem impetebant, donec una, incertum an nostro an hostili igne, pulvere pyrio accenso cum vicinâ, quę flammę proxima erat, horrendo sonitu, tanquam si cælum & maria miscerentur, in sublime rapta fuit. Idem fatum & aliæ nonnullę habuere, quę vel tormentorum ignibus, vel furore pulveris nitrati, quem lacerę navis relliquię incenderant, horrendo spectaculo collisæ dissiluerunt. Reliquæ metu consternatę in brevia & vada impegêre, uti extremo se subducerent periculo. Tandem Prætoria navis, cui loco defuncti Imperatoris præerat centurio Petrus Gulielmi Verhoevius, Principem classis hostilis ita pressit, ut vexillum candidum, quod pacis & deditionis indicium esse solet, explicaret, sed nihilominus violentia tormentorum superavit, & militaris insultus sedari nequibat. Accessit & intrepidus miles centurionis

Cleinſorgii, qui, cum continuis tormentorum ignibus propinqua hoſtilis galeo conflagraret, in ſcapham ſe conjiciens, contra Prætoriam inſurgens, apluſtri primum detracto, incredibili illam virtute ſuperavit. Tum demũ horribile ſpectaculum viſum fuit, omnia conſtrata telis, armis, cadaveribus, alii morti occumbere, vulneribus affligi, eniti atque iterum prolabi, alii fugiendo mortem mari ſe præcipites dederunt, ſed cum enatare luctarentur, plerique à claſſiariis, qui ſcaphis ſe expoſuerant, confoſſi vel ſubmerſi ſunt, adeò ut cadavera cum ſanguine fretum paſſim ſummo cum horrore volveret. Fuerant immixtę claſſi Hiſpanorum treis Gallicę privatorum naves, quę in prælii conſortium aſſumptę, nactę occaſionem, ad victores tutò ſe recepere. Servati & captivi, quos cum crudeli mandato centurionis Hiſpanici miles transfodere pararet, globo interemptus, mox & alius, qui idem tentabat, ſimili morte occubuit. Quin &, mirum dictu, majori telo vincula captivorum dirupta commemorantur. Veſpera cadente relicta à Noſtratibus Prætoria navis, admodum perforata, à paucis, qui ſe occultaverant, ſectis anchorariis funibus, verſus urbẽ pulſa eſt. Inſequenti (xxvi Aprilis) die iterum à noſtris ſcaphis impetita, verum oppidani malo diſſecto ignem injecerunt. Hic exitus celeberrimi illius prælii fuit, cujus fama totũ terrarum orbem pervaſit, atque ipſam timore concuſſit Hiſpaniam, docuitque in propriis penetralibus ambitioſam gentem debellari poſſe. Damnum ingens, fœdam & cruentam cladem Hiſpanorum luctus publicus & privatus oſtendit. Compertum fuit Hiſpanis referentibus quatuor armatorum millia & amplius in ea claſſe fuiſſe, quorum maxima

pars

pars cum ſummo claſſis Imperatore, qui eodem quo Heemskerckius fato ſecundo tormentorum ictu ceciderat, cum præcipuis Præfectis, plurimis nobilibus, qui fidei in Regem virtutique oſtentandę crebri confluxerant, & milite veterano, qui expeditioni Joannis Auſtriaci interfuerat, in numerum Libitinæ venit, bellicis roſtratisque navibus incenſis, ſubverſis, aut funditus deletis propemodum omnibus. A parte noſtratium, ſicuti in præliis ut plurimum iis minimum eſt periculum, qui minimum timent, & audaciam pro munimento habent, præter vulneratos centum plus minus perierunt. Heemskerckii, qui ſtrenui militis & maximi Imperatoris officium executus fuerat, cadaver unguentis medicatum Amſtelodamum delatum fuit. Ibi publicis exequiis illum, qui pro Rep. noviſſimum ſpiritum effuderat, admodum magnificè terræ mandarunt Patriæ Patres. Duo ſigna militum inverſis armis funus præcedebant, tympana atro velamine induta pulſata lugubre quid ſonabant, vexilla ſyrmate ſuo ſolo trahebantur, dein galea, lorica, denique antiquę Equeſtris nobilitatis inſignia portabantur, à quatuordecim Præfectis funus geſtabatur, poſt conſanguineos & neceſſarios rerum maritimarum Curatores, Conſules & ſenatores urbis, cum urbana nobilitate civium præfecti, & ex omni ordine ſpectatiſſimi quique atrati incedebant, circumfuſa plebes inprimis nautica & verbis & vultu luctum oſtentabat, alii Neptuni domitorem, fulmen belli, terrorem Hiſpaniæ, prout unicuique dolor verba laxaverat, appellabant. Honori & æternitati nominis ejus illuſtre à Patriæ Patribus conſtitutum fuit monumentũ, ſic ut excelſa ejus virtus merebatur. Defunctus eſt in flore virilis

rilis ætatis, cum annum trigesimum ætatis & nonum ageret.

CAPUT XLI.

EXPEDITIO INFOELIX SUB PRÆFECTURA PETRI GULIELMI VERHOEVII VERSUS INDIAM, Anno clɔ Iɔ cvii. & seqq.

Expediverat anno clɔ Iɔ cvii Indica Societas classem tredecim navium, cujus summum imperium obtinebat Petrus Verhoevius, qui comes nuper Heemskerckio, illoque interempto partes Præfecti glorioſe tutatus, victoriam nobilem in Calpetano sinu Hispano extorserat. Ipsa fortuna tempestatibus, sanguine, ferro atque adeo cæde Præfecti fœda ut plurimum, & calamitosa. Complures tamen naves à Nostris interceptę prædam auxerant. Circa Mosambiquam mense Julio anno clɔ Iɔ cviii corbita pretiosis mercibus opulenta, quanquam ex arce simul & navi, majoribus tormentis vehementer obniterentur hostes, haud difficulter superata. Eadem ærumna duas alias oppressit. Binas alias, ne eodem malo succumberent, prope arcem ejusdem Gubernator Stephanus de Attaida vadis impingi curaverat, ne injuriis opportunæ essent. Insequenti mense galeonem quoque, quę procellarum turbine circa Canarias insulas à reliqua classe Ulyssiponensi (constabat illa octo ingentibus corbitis, & sex galeonibus, atque Proregem Goæ vectabat) avulsa per incerta

certa fluctuum mari sævo turgidoque jactabatur, post modicam velitationem occuparunt. Mense Novembri, juxta Malaccam incensâ à Nostris corbitâ, furor ignium eandem usque ad ima tabulata corrupit. Plures & alię captę, vel ab hostibus ultro incensæ. Hæc adhuc secunda & prospera nobis, cæterum anno sequenti sors advorsa turbare res nostras cepit, & velut ex condicto opprimere. Bandenses, sub specie iciendi fœderis, Præfectum cum consiliariis ex insidiis circumventum plurimis vulneribus confodêre. Neque enim ob paucitatem Nostri obniti quibant, quod jam ante Barbari impetrassent, uti remoti à præsidio jaculatorum sylvam vorsus fœderis negotia agitarent. Milites nostri, qui vicina litoris insederant, tumultu subito perculsi, etsi omnibus locis vis magna hostium, periculum anceps esset, festinato itinere in arma prorumpere, obvios quosque tuborum glandibus cædere, fugientium ad sylvarum invia terga premere, nihil reliqui victis facere. Quæsitis nostratium cadaveribus repertum Præfecti cadaver viginti & novem vulneribus confectum, caput amputatum, ludibrio habitum, triginta alii primates eâdem sorte occubuerant. Postridie quatuor centuriis militum aucti per campos cæde madentes suorum quæritabant cadavera. Inventi & juxta oppidum obsides Nicolaus Molrius & Joannes Vischerus fœde trucidati à Barbaris, qui ne quidem jura gentium noverant, sed cuncta cruenta lubidine violaverant. Neque socios abducere prę telorum ingruente tempestate Nostri poterant, sed recipere se cogebantur. Prępecto, cęterisque primoribus in arce, quam invitis jam antea insulanis construxerant, parentatum, ultimo honori quinquies ex navibus

vibus tormenta explosa, ter jaculatores globos excussere. Plureis postmodum aliæ Barbarorum naviculę captæ, incensę, quarum unâ (juncum ipsi appellant) cuncti ferme Æthiopes, qui deditionem detrectaverant, & infra tabulata se receperant, aut ignibus, aut ferro perierunt. Nimirum in tanta rerum humanarum volutatione, nunquã ferme scelera impunita manent. Et indigenę mox omnia jam alia optabant, supplicesq; pacem bello præferebant. Cæterum ne extra institutum longius procedamus, (namq; & Paulus Cardenus præfectus alterius classis bis carceri mancipatus, Tidor, & Terenate ulterioris calamitatis testes erant) prælium horridum circa Manillas & Nostris exitiale commemorare, nunc jam ipsa res postulat. In hoc vitę fluctuantis & turbida statione ita natura comparatum est, ut advorsa secunda sequantur, neque cuiquam mortalium ita Fortuna indulsit, uti omnia ex voto fluant. Effugere advorsa casuum nemo potest, contemnere & conculcare generoso spiritu quis potest. Quatuor naveis sub finem anni cIↃIↃcx cum celoce sub Præfectura Franciſci Witterdi opperiebantur galeonem pretiosis Chinensibus mercibus opulentam, quæ ex Maccao Manillas petebat, cæterum illa ex infortunio vadis hæsitans, fluctibusque pulsata, dissoluta compage una cum centum & viginti viris, fundum petierat. Irrito hoc molimine cunctando circa hanc oram Chinenses & Japanenses naves, quæ expectabantur, excipere firmum consilium stetit. Verũ ubi ex quatuor captivis, qui se telluri forte dederant, copias Nostratium consiliumque hostis intellexit, Ioannes de Sylva Moluccarum insularum gubernator, confestim duodecim naveis, inter quas & longæ, expediri &

mille

mille armatis hominibus, inter quos octingenti Hiſpani, inſideri juſſit. Duæ Noſtrarum, quod ſparſim à ſe invicem remotę anchoras fixerant, poſt acrem conflictum ſuperatæ, tertiâ, dubium an hoſtilibus ignibus an ex infortunio, incensâ, Noſtri projecta navis cura in mare præcipites paſſim agebantur, & vel ignibus, vel aquis, vel ferro plerique ceciderunt. Ex ſuperatis navibus duabus Præfecto ſupremo Witterdo caput tormento ablatum, centum & viginti captivi: hoſtium quinquaginta tres cæſi, ſeptuaginta ſauci. Duæ alię naves, quę exploratum ierant, an alię Chinenſes adventarent, intellecta clade fuga ſibi conſuluerunt. Ita heic inducię ferrum occultaverant, ſub æſtivo ſidere nimium quam incaleſcentibus animis arma crepabant, heic pro tempore amici, illic hoſtes furioſo impetu in mutuam perniciem graſſabantur.

CAPUT XLII.

CONFLICTVS CLASSIS BATAVICÆ CVM HISPANICA, ANNO CIↃ IↃ C XII.

QUANQUAM per inducias belli furor paullum ſe remiſiſſe videretur, idem tamen horror ſub calente ſole Oceano incumbebat, ſive quod ſub infeſtis ardoribus plus ſatis incaleſcant mortalium animi, ſive quod prædę cupidine, vel commerciis tutandis Hiſpani Batavos infeſtare, atque in ordinem cogere niterentur. Batavi tamen, qui fide nihil potius habebant, non primi hoſtilia tentabant,

bant, sed quieti se suaque tantum defensare, injurias manu vindicare satagebant. Cum enim anno CIↃ IↃ C XII ex Hollandia Zelandiaque duodecim naveis probe viris, commeatu & necessariis instructę pelago se dedissent, Indiamque peterent, juxta Salarias insulas Hispanicæ classi septendecim velorum occurrunt. Batavi recto itinere per aquas tendunt, ne metus vel diffidentia eos incessere videretur, neque tamen Hispanicam classem vorsus cursum flectebant, ne hostem lacesserent, atque ad prælium irritarent. Non minus tamen flagrans cupido Hispano minuebatur, quippe qui pugnandi desiderio ardens totam jam classem nostram animo invaserat. Itaque tumidis velis vento secundo in naveis nostras invehitur, machinisque explosis acri insultu prælium occepit. Fœderati, ubi intelligunt eo processum, uti armis se suaque vindicare necesse foret, necessario virtutem suam intendunt, atque, uti se dignum erat, prælium grave conserunt: quippe ingens animus, eo magis quod plura mari strenue patrassent, hostilem injuriam minus tolerabat. Et prospere res ex voto cessit, ingenti hostilis classis detrimento. Prætoria namque navis post cruentam pugnam subito incendio conflagravit, cui dum galeo suppetias ferre nititur, iisdem ignibus ardens pessum ivit. Pleræq; aliæ (quatuor enim tantum evaserant) consumptę, deletæ, seroque Hispani tumidi ante, & præferoces fortunas suas in extremo sitas perceperunt. Nostri ingenti præda classiariis partita Indico itineri rursum se accinxerunt.

CAP.

CAP. XLIII.

ACERRIMVM PRÆLIVM GEORGII SPILBERGII CLASSIS INDICÆ PRÆFECTI, CVM CLASSE RODERICI MENDOZÆ, ANNO CIↃIↃCXV.

GEORGIUS Spilbergius, qui ſeptem probe inſtructis navibus ſuperiori anno ex Teſſaliæ ſtatione mari ſe dederat, ſuperato freto Magellanico, auſtrali Oceano anno CIↃIↃCXV horribile cum Hiſpanica claſſe prælium victor maris, victor hoſtium geſſit. Decimo & ſexto Julii ſuperata modica navi, cui cum imperio nautico præerat Joannes Baptiſta Gonſales, octo naves ingentis magnitudinis procul turgida vela mari oſtentabant. Compertum ex captivis Hiſpanis, claſſem hanc exſcindendæ noſtræ à Rege Hiſpaniarum expeditam, & dubio procul fortunæ mari experiundę periculum nobiſcum facturam eſſe. Fuerat quidem (ut poſtmodum retulere Hiſpani) ingens in magno concilio Peruviano inter Proceres contentio, qui fluctuantes conſiliis huc atque illuc impellebantur. Pleriique enim eò abierant, in Caliovenſi ſtatione opperiendos Batavos eſſe, erigendos undique vicino telluris tormentorum ſuggeſtus, ſub quorum præſidio, ubi pugnandi copia facta eſſet, ſe ſuaque ſine periculo defenſare, certisque machinarum verberibus extrema Noſtris intentare poſſent. Contra Rodericus Mendoza, qui Marchionem Monteclarium Proregem ſanguine attingebat, juvenili ma-

gis ardore,quam militari virtute vel prudentia,obnitebatur, & cupidine cæcus ad pugnandum fatis ita volentibus rapiebatur. Meticuloſi eſſe hoſtem opperiri, ubi primo impetu vincere poſſis. Duabus tantum ſuis navibus Angliam occupari poſſe, quid humilem depreſſam claſſem, quæ præ magnitudine Hiſpanicę imbellium gallinarum vel pullorum inſtar referrent? Hoſtem totiens victorem mari non tam virtute, quam temeritate, quæ ubi primum impetum effudit,obtorpeſcit. Suis vires integras eſſe, illis præ longo itinere defectas collabaſcere, vel morbis afflictari: omnia mari vel tellure ab Hiſpanis cincta, ne quidem pulſis fugæ locum fore. Denique pavore conſternatos nihil molituros, verum ultrò ſe dedituros. Atque hæc tanto molimine animi impotens urgebat, ut certam ſibi ſpondere victoriam videretur. Ita tumidâ ambitione cæcis pejus conſilium in ſenatu vicit. Atque adeo Prorex faſtu diſtentus, nihil aliud, inquit, impero, quam ut perditiſſimos mortaleis, manibus pedibusq; ligatos,pulcherrimo ſpectaculo huc adducas. Eoque incitatus Mendoza juramento morti ſe devoverat, niſi victor hoſtium navibus aliquot ſuperatis domum revorteretur, atque in eum finem conſecratum panem aſſumpſit. Nimirum arrogantia calamitatem ut plurimum præcedit: atque id apprime in vitâ utile, ne homo ſupra humanæ ſuperbiæ menſuram intumeſcat, alioquin ſpreti Dii immortales excandeſcunt, atque humana conſilia ex alto deſpiciunt, caſtigantque. Decimo & ſeptimo ejuſdem menſis utrinque claſſis oculos præſtringebat. Hiſpanica ultra mille quingentos milites & claſſiarios vectabat, omni apparatu bellico inſtructiſſima. Extremum diei proceſſerat,

atque

atque adeo nox tenebricosa mari incumbebat, cum Propræfectus Petrus Alvaresius Pigarrius, maritimę militiæ vetus, & consilio validus, cymbam ad Mendozam misit, monens ne incerta casuum maritimo nocturno prælio committeret, periculum anceps tenebris augeri. Sin aliter illi visum, nolle ut suæ culpæ imputaretur. Cæterum ille rigido hæc supercilio contemnens, circa horam decimã juxta prætoriam nostram progreditur, & postquam utrinq; Imperatores sermones conseruerunt, primo fistulis militaribus, dein majoribus machinis cælum & maria intonuêre: incredibilem machinarum sonitum silentium noctis supra modum auxerat. Spilbergius continuis fistularum machinarumque ictibus, ita Prætoriam Hispanicam impetierat, uti divortere cuperet, sed sudo tranquilloque mari nequiret. Hinc & illinc machinarum ingens fragor exaudiri, tubarum tympanorum sonitu cœlo saloque quieto undique perstrepere, vulneratorum horribilis clamor & ejulatus late terrorem incutere. Vix evaserat Prætoria, cum alia navis velificando expeditior levi noxa præternavigavit. Tertia, quæ à Divo Francisco nomen acceperat, cui præerat Ludovicus Albedinius, cum malacia maris vorsus Prætoriam nostram fluitaret, ita tormentis quassata, ut propinqua exitio videretur. Verum illa, quanquam vehementer lacera, elapsa, celoci nostræ, quę opportuna injuriæ videbatur, se innectit: quanto autem densior hostis constiterat, tanto magis pubes nautica in prælium exarsit, ita ut pulsa, rimisque perforata navis tandem subsideret, atque ingruentibus fluctibus obrueretur. Hispani vel ferro cæsi, vel inglorie submersi pelago jactabantur. Serius Prętoria Hispa-

nica ſuppetias ferebat, cæterum ubi lateri celocis & ipſa ſe applicuit, iniquum omnino à noſtra parte certamen gliſcebat: quanquam neq; illa deſponderet animum, virtute, non viribus niſa. Præfectus noſter iniquam illorum ſortem conſpicatus, cymbam armatis viris refertam ſubſidio miſerat, imperans Propræfecto, ut idem factitaret. Cæterum cum propius cymba adventaret, Noſtri, qui celocem defendebant, hoſtilem rati, quanquam alta voce Auriaci nomen uſurpaſſet pubes nautica, neque præ fragore tormentorum audiretur, majori machina everterunt. Præter unum omnes recepti vitam ſervarunt. Interea altera cymba propinquabat, quę tuborum ingruentibus miſſilibus celocem calamitati præſenti ſubduxit. Dum obtenta nocte tenebrę denſantur, navigia duo Noſtratium, queis Æoli & Luciferi nomina erant, latitabant, neque tranquillo mari noſtris ſe jungere copiis potuerant. Quæ à vicariâ Hiſpanienſi, cæterisque promiſcue navibus impetita, non vanus metus inceſſebat. Ubi dies primum illuxerat, Prætoria, etſi à Noſtris admodum fatigata, cui nondum animus neque conſilia conciderant, ingenti inſultu cum iis manus conſerendi periculum fecit, ſed perrupit violentiam virtus & audacia Batavorum. Vento poſtmodum increbeſcente, quinque hoſtium navigia cymbis ad Mendozam miſſis (uti poſtmodum ex captivis compertum) indicaverant, ita præcedenti nocte laceratas compages, uti animo viribusque fracti iterum præliandi copiam detrectarent. Spilbergius cum vicario, dum flacceſcere Hiſpanorum animos vident, virtute confiſi, territis inſiſtere, atque omne fugę prędidium præcludere, conſultum judicabant, & ſimul magno impetu in

Prędo-

Prætoriam vicariamque Hiſpanicam ferebantur. Illę pavore attonitę, atque, uti in ſubitis fieri ſolet, conſiliis fluctuantes in fugâ ſalutem quærebant. Cæterum Proprætoriam, quod pigro motu per æquor incederet, ne in manus noſtras veniret, modicis velis Mendoza opperiebatur. Acre hinc oritur inter Prætorias Vicariasque utrinque prælium. Quîs cum tertia noſtra, Æolus nomine, acceſſit, tumido ore ingentes globos jaculando, ferventem ſupra modum mari movit bellicam tempeſtatem. Fumi nebulę ingentes ipſum diem obduxerant, intermicantibus veluti fulminibus tonantium machinarum ſonitu latè cuncta perſonabant. Acceſſit & fortuna, quippe utraque Hiſpanica ſibi invicem impacta, cingendi illas, & undique certis machinarum ictibus quaſſandi facultatem dedit. Hinc magna hoſtes inceſſit conſternatio, neque pugnandi iis erat animus, neque pugnam detrectare poterant, adeo ut Hiſpani ex vicaria, quę exitio propinqua erat, & rimis fatiſcens plurimum aquarum hauriebat, in Prætoriam inſilierint, cui ex trecentis & quod excurrit hominibus vix quinquaginta ſupererant, quique, ut poſtmodum intellectum, confertum agmen in prora denſaverant, ne paucitas illorum percipe-retur. Jamque adeò ponere arma, & innoxiam deditionem facere, unum erat afflictis remedium. Vexillo itaque candido erecto pacem poſtulare videbantur, verum homines nobiles, equeſtris dignitatis, qui crebri huic expeditioni ſe dederant, iterum eodem ablato prælium mortemq; glorioſam præoptabant. Itaque qui ex vicaria in Prætoriam præcipites ſe miſerant, iterum in ſuam inſilientes navem funeſtum prelium iterant. Fit via vi, telis, cadaveirbusque

cuncta cooperiebantur, reliqua prælii casu non consilio regebantur. Vicaria nostra fluctibus jactata inter medios hostes agitabatur, & undique machinis impetita extrema expectabat. Et prætorianus hostium miles tabulata illius jam transilierat, & victor per ora virûm volitabat, quem modicis machinis, telis, hastisque ita excepit nostra juventus, ut plerique asperrimo loco cæsi procumberent. Interea horrendus fragor tormentorum undique intonuerat, adeò uti duę principes hostium naves retro cederę cogerentur, ita compagibus solutę, ut vix fluctibus attollerentur. Spilbergius Mendozam usque ad serum diei insectatus, qui, ubi nox infausta tenebris cuncta tegeret, oculis ereptus, nunquam amplius apparuit. Ruptis tabulatis quas immodicas haurientem, onere pressam subsedisse, postmodum nuntiatum fuit. Eadem sors navigio, Marię nomine, obtigit, ut paulatim fatiscens fundum peteret. Propręfectus cum Æolo navi vicariam Hispanicam fugientem insecutus, ita machinis continuo pressit, ut confestim pelago obducenda quoq; videretur. Alvaresius Pigarrius, qui secundam in classem obtinebat potestatem, vexillo candido erecto, se suaque omnia dediturum promisit, modo vitę parceretur. Cymbis nostris armato milite refertis postulatum, ut ipse Præfectus se arbitrio victoris permitteret, atque navi nostra in deditionem acciperetur. Quam conditionem ægerrime tandem hactenus accepit, uti aliquis centurionum, qui præsto erant, obses linqueretur. Quod cum jure negaretur, diu cunctatus, multa secum animo volvens divorsus agitabatur, ad postremum ita sermonem instituit, se non discessurum, nisi ipse Præfectus præsens illum

lum abduceret. Alioquin se mortem honestam servili captivitati præferre, quam nemo generosus æquo animo toleravit. Non ita sibi ab ignavia & socordia corruptum animum, ut non & mortem contemnere possit. Omneis homines mortalitatis conditionem à summo Imperatore accepisse, serius ocyus quis ex hac vita decedat, parum referre. Hoc esse cordati hominis, super humana omnia se extollere, & ex quacunque conditione supra fortunam surgere, terroresque mortalium sub jugum mittere. His similibusque verbis ambitiose insistebat, quanquam monitus à Nostris singulis horis compagibus solutis navem extrema minari, & pluribus in locis laxatam jam mari cedere. Dum hæc ita transiguntur, unus sociorum aplustri adempto citato gressu, mobilibus & fluitantibus artubus, hosti victoriæ confessionem extorsit. Ita Nostri cum cymba reversi, præter duodecim viros, qui spe potiundæ prædæ in dehiscentem jam navem insilierant, vitæque prodigi communi se exposuerant periculo. Interea cuncti admodum summa ope sentinam trahere, succurrere, quantum poterant, ingentibus foraminibus fatiscenti navigio, cæterum ubi nulla salutis spes affulsit, luminibus facibusque accensis horribilem clamorem edere, denique subsidente navi aquisque obruta submersi pessum ire, alii catervatim in fluctus desilire, & frustra mari magno natando aquas pulsare, & obnitendo lassatis manibus aquis succumbere: septuaginta circiter tabulatis laceris, malisq; hærentes fluitabant, ex quibus postridie pauci à Nostris recepti (inter quos nauarchus cum centurione) relliqui injuriæ maris relicti, frustra opem implorantibus Hispanis. Ipse Imperator Alvaresius acri ingenio,

genio, consiliis senilibus pollens, prudentia juxta atque armis clarus, patiens laborum, firmissimus contra pericula, fortis magis quam temerarius, quique inconsulto ardori juvenili Mendozæ multum advorsatus fuerat, denique mortis contemptor, ne ab hostibus vinceretur, aquis obrutus victusque fuit. Hac victoria insulani, inprimis cum ad oppidum Limam naves nostræ propius accederent, insolito metu trepidare, armati per littus discurrere, prorsus intenti nihil Nostris noxium omittere, machinas undique inprimis ex vicina tellure, quarum una triginta pondo ferro jaculabatur, excutere, ingens ubique periculum facessere, ita uti Præfecto nostro visum fuerit ad milliare unum vel alterum mare eligere, ne ulterior expeditio irrita foret.

CAPUT XLIV.

MELCHIORIS KERCHOVII PRÆFECTI CLASSIS BATAVICÆ CUM HISPANIS PRÆLIUM NAVALE, Anno cIↃ IↃ c xviii.

Dum inter Neapolitanos suppetiis Hispanicis & Venetos mari Adriatico simultatum gliscunt incendia, consultum videbatur Patribus sub Præfecto classis Melchiore Kerchovio Fœderatis exercitatum militem subsidio mittere, ne libera Respublica, quę ab Attilæ turbulentis motibus, ipsis maris æstuariis erecto imperio, invicta stetit, aliquid detrimenti caperet. Inter Tarifam & Gibraltaram vigesimo & quarto Junii octo Hispanicę naves cum ingenti galeo-

galeone occurſant, queis impedire ſuppetias, claſſem fundere, præſidium militum pulſare, conſilium ſteterat. Ita neceſſitas pugnandi, quæ prima ſæpe virtutis eſſe occaſio ſolet, nauticę & militari juventuti incubuit, quę præliis pluribus virtute & robore edurata, ipſis admodum lætabatur periculis; ſicuti enim arbores, quas frequens tempeſtas incurſavit, duriores evadunt, ita ipſa virtus aſſiduitate periculorum conſtringitur, radicesque in ipſis cordis penetralibus altius figit. Ubi ad pugnam ventum, audax iis & minax vultus, animus contumeliarum impatiens, concitum corpus, manus inquietę & vulneribus intentandis certę, denique poſt multum ſanguinis effuſum victoriæ compotes evadunt. Fuſi fugatique Hiſpani, quadringenti cæſi, ex Noſtris quinquaginta circiter ceciderunt. Pauci vulnerati, qui audacter cruore inimicorum imbuti ſuum quoque ſanguinem ſpectabant, & mutuis mortibus vulneribusque ſatiabantur.

CAPUT XLV.

PRÆELIVM CLASSIS BATAVICÆ CVM HISPANICA IVNCTÆ CONTRA TVRCAS PRÆDONES, SVB PRÆFECTVRA HAVTAINII, ET LAMBERTI PVLCHRI VICARII, Anno cIↃ IↃ C XVIII.

PRAEDONES Turcici ubiq; mare, inprimis internum, infeſtabant, & quanquam omnibus modis prædam traherent, præ nimia avaritia cupidinem inſatiabilem vincere nequibant. Itaque mari pollentes ſine modo mode-

ſtiaque naveis omnes invadere, vaſtare omnia, nihil penſi ſanctique habere. Hinc prolixę mercatorum, quorum opibus ſuſtentatur Reſpublica, querelę, cum non in bona tantum, verum in ipſa corpora, libertate adempta, immanis ſæviret prædonum crudelitas, niſi religionem ejurarent. Inventi tamen homines, quos cælum ambit, ſceleratiſſimi, contemptores ſupremi numinis, quibus fides, probitas,& religio ludibrio habebatur,qui crudeliores in Chriſtianos hoſtes erant, quam ipſi Turcæ, & ſanguine popularium ſuorum non ſatiabantur, ac frontibus advorſis (parentum enim liberorumque ſæpe contraria erant ſacramenta) cum propinquis dimicabant. Quos ego mortaleis, qui Deo ipſi patriæque infeſtas manus inferebant, ex finibus humanę naturę exterminandos jure exiſtimo. Proceres itaque, qui maritimo Fœderatorum collegio præerant, expeditâ claſſe ſub Præfectura Hautainii, Lambertique Pulchri, qui vicariam poteſtatem obtinebat, ſicut & antefactum, (inprimis anno hujus ſæculi XIV, incenſis quatuor navibus, Mamorram ſuperaverant) ita nunc de integro maria purgare decreverunt. Qui junctis cum Hiſpano copiis mari mediterraneo ingenti prælio claſſem Africanam triginta ſex navium, probe inſtructam, virisque armatis refertam, conſumpſerunt, fugarunt, Chriſtianos ſervituti exemerunt. Qua clade commoti prædones, qui Tuneti,& Algieræ ſtationes inſederant, diu latebris ſuis ſe occultare cogebantur, qui magis ſocordia, atq; ignavia noſtra, quam virtute ſuâ victorias cumulaverant. Quę fœlicitas, cui nulla ratio ſuberat,non potuit eſſe diuturna,cæterum ad ultimum temeritati non ſuffecit.

CAP.

CAP. XLVI.

PRÆLIVM HERMANNI CLEVTERI CVM DVABVS HOSTILIBVS NAVIBVS

ANNO cIↃIↃ c xxII *MENSE AVGVSTO: EIVSDEM CVM IOANNE MICHAELIS ACERRIMVM CERTAMEN, EODEM ANNO, MENSE OCTOBRI.*

FINITIS induciis, quæ motibus civilibus exarserant, bellum externum firmam iterum concordiam peperit, atque summo horrore terræ marique contra hostem incubuit. Prima maris tempestas contra duas naveis hostiles, quæ concubia nocte Ostendâ solverant, mari inhorruit. Signo dato à centurione Jacobo Vinckio, qui juxta Geulam excubias agebat, Præfectus Hermannus Cleuterus anchorariis funibus sectis, Ostendam & Blancenbergam inter hostibus exeundi copiam præpediebat. Quibus, cum neque manus conserendi, neque perfringendi facultas, animusque esset, cursus iterare relictos consilium stetit. Cæterum cum & illic lunata acie classis nostræ obsiderentur, gravis illos pugnandi necessitas pressit, fatigavit. Nonnullę quidem naveis (Fregattas vocant) milite stipatę ex urbe suppetias ferre laborantibus extremo periculo nitebantur, cæterum compluribus cæsis sauciisq; recipere se cogebantur. Et mox vitandæ calamitati binæ bellicæ, de quibus modo memoravi, præcipites in vicina litora agebantur. A mediâ nocte hora secunda usque ad meridianam tertiam duro certamine mare inhorruit, fulmineisque machinarum ignibus undę

exarſerant. Hoſtis ultra centum & ſexaginta quatuor cæſos, octuaginta vulneratos numerabat, quatuor tantum à noſtra parte ceciderant, paucis ſauciatis. Et hæc quidem minora commemoraſſe ſufficiat, ingens enim Cleuteri animus majora volvebat, & inquies gloriæ ſtimulis ſupra modum agitabatur. Gravior menſe Octobri maritima procella hoſtilem claſſem, cui ſummo imperio præerat Joannes Michaëlis, exagitavit, qui noctis præſidio fretus Oſtendâ tribus navigiis bellicis mari ſe commiſerat. Singula ducentis armatis viris ſtipata, quibus Noſtra virtus formidoloſa erat, non pugnandi deſiderio, ſed elabendi ſtudio ex opportunitate nocturnas tenebras elegerant. Signo dato à Ioanne Volcardo, qui juxta excubias agebat, hoſtem adventare; Propræfectus Hermannus Kleuterus militiæ impiger, etſi nocturna maritima prælia in incerto ſint, virtutem intendere, aleam prælii tentare, & magno inſultu Prætorię Duinkerkanę ſe innectere, contra hoſtis acerrime niti, prorſus ab utrisque nihil reliquum fieri. Illa continuis tormentorum ictibus fatigata, expedire ſe amplius nequibat. Cæterum Cleuteri navis latere proræ ingenti foramine perforato, cum imperioſum æquor nullo molimine excludi poſſet, rebus afflictis extrema expectabat. Plerique ex ſociis navalibus, uti præſenti periculo ſe ſubducerent, in cymbam inſultabant. Prefectus cum iis, quibus imperandi inferior ſors obtigerat, paucisque navalibus, etſi fluctibus navis deprimeretur, ignibus ſuis ſuper aquas attollebatur, & tam diu cum hoſtibus dimicavit, donec imminente naufragio, ita, ut fors tulerat, fractis tabulis irato mari unuſquiſque ſe committeret. Cleu-

terus

terus cum paucis aliis per integram horam profundo jactatus, tenui ligno fluitans, præsenti ubique mortis imagine, ope divina incolumis à suis receptus est. Ex sociis navalibus cum Optione ultra quadraginta morte glorioſa aquis obruti sunt. Præfectus hostilis tanto periculo exemptus in graviorem Fortunam incidit. Namque ita à Præfecto Lamberto Pulchro, reliquisque nostris navibus exceptus est, ut, cum amplius sibi consulere nequiret, pulvere pyrio incenso navem in sublime egerit, ita ut horrendo mugitu cuncta contremiscerent, miseroque fato omnes occumberent. Cæterę naves hostiles Angliam Galliamque vorsus actę, à Nostris obsessę, fugiente intellurem pube nautica, pessum ierunt. Captivi, tanquam prædones Oceani, gula fracta Roterodami & Enchusę patibulo affixi. Cleuterus à Proceribus, quibus cura maris incumbit, aurea torque decoratus, classiariis, qui tanti periculi virtutisque consortes fuerant, præmia partita.

CAP. XLVII.

PRÆLIVM ACRE PROPE GADES, INTER HISPANICAM CLASSEM ET NOSTRAM, CVI PRÆERAT SVMMO CVM IMPERIO IOACHIMVS HENRICI SWARTEHONTIVS, Anno cIↃ IↃ cxxii.

REx Hiſpaniarum, cum non ignoraret, quantum negotii contra Batavos sustineret, qui commerciorum flagranti cupidine concitati maria constraverant, acer-

rime adnitebatur, uti ſuis, id eſt maritimis artibus poteſtatem illorum frangeret, itaque turbandis commerciis in Freto Gaditano claſſem, quę viginti quatuor navibus conſtabat, expediverat. Cæterum iis vim majorem intentare, quibus ſuo veluti elemento vincere conſuetudo erat, quique naturam horridi & efferati maris, cui innutriti, obnoxiam habebant, longe opinione aſperius erat. Namque Fœderati Proceres ex bellicis & mercatoriis navibus impediendo huic molimini claſſem coëgerant, qua impetum hoſtilem antevortere in proprio ſolo conſilium erat. Namque prior inſultus animis ſuorum fiduciam parit, & victoriam promittere videtur, contra hoſtibus terrorem incutit. Claſſi noſtrę cum ſummo imperio præerat Ioachimus Henrici Swartehontius, qui omnem ætatem terra marique in militaribus artibus egerat, multis maritimis prœliis, quibus interfuerat, laboribus & periculis ſuis gloriam ingentem quæſiverat, vitam atque mortem juxta æſtimaverat. Deductis mari interno onerariis navibus, confeſtim, (namque periculum in morâ erat) expanſis velis quinque bellicis & compluribus mercatoriis navigiis columnas Herculis petit, uti Herculeum aliquod & memorabile facinus tentaret. Inprimis, ubi ad Gades perventum, Heemſkerckiana victoria glorię flammas incitabat, quietisque impatientem in tranſvorſa rapiebat, ſicuti Themiſtoclem trophęa Miltiadis excitabant. Iuxta promontorium, quod Molle vocant, ſibi invicem utręque claſſes occurſant. Cęterum hoſtes non tam ſanguinis, quam opum cupidine flagrantes, mercatoriis magis navibus imminere videbantur. Cum enim majoribus tormentis ulterius Noſtris globos

bos jacularentur, confertasque naveis certis ictibus quaſſarent, ipſi extra principia nullo ſuorum incommodo Fœderatos deſpectabant. Verum Præfectus noſter, ipſe & imperator & ſocius periculi, lanceam manu vibrans, corpore inquies, oculisque ardens, paucis ſuos hortatus, poſtquam omnium animos arrectos videt, plenis velis ingenti impetu hoſtem adoriri tentabat, cæterum advorſo vento obniti, propiusque accedere nequibat. Tormentorum utrinque miſſilibus armamenta pertuſis velis admodum quaſſabantur. Lacerato Prætorię Neapolitanę ſanguineo vexillo, ſiparioque rupto, Noſtri ſuperioribus velis, minorique ad proram dimiſſis, hoſtem opperiebantur. Neapolitana, quod velis mutilis commode pro lubidine vento uti nequiret, paulatim invita vorſus noſtram Prætoriam fluitabat. Quam occaſionem nactus Imperator Noſter, Præfecto tormentorum edixit, ne prius machinas vibraret, antequam propinqua certis impeti poſſet verberibus. Interea hoſtis ducentis & quinquaginta tubis militaribus in Noſtros miſſilium procellam effudit. Verum ubi propius acceſſum, Batavi ad omnem audaciam furoremque militarem prorumpere, graviores machinas certis ictibus excutere, adeò ut Neapolitana navis miſerum in modum perforaretur, morientium vulneratorumque clamor horribilis exaudiretur, hoſtis fugę proximus cum ſex ſeptemve navigiis ſeptentrionem vorſus deflecteret. Dehinc Noctiluca Hiſpanica propius fluitans, ab Imperatore cæterisque centurionibus, inprimis Alteraſſio, qui inter fiſtularum glandes ferali globo percuſſus, animam Patrię Deoque immortali imperterritus devovit, ita excepta, ut infecta ſanguine, polluta cadaveri-

daveribus, & fatiſcens in latus inclinaret, atque imperioſo æquori cedere videretur, denique inter hoſteis precariam veluti animam traheret. Neapolitana interea, cum aliis navibus curſu iterum verſus auſtrum flexo, inſerere ſe iterum noſtræ claſſi tentabat, innexaque uni mercatorię, cui pręerat Iacobus Salius, ab eadem duodecim à latere tormentis tam graviter preſſa, ut vela vorteret, & hinc undique iterum à Noſtris impetita, uti reſponſare machinis nequiret. Pleræque quoque alię naveis lacerę, quaſſę, expedire ſe amplius, ordinemque ſuum obtinere non poterant. Inter centurionem Liefhebberum, qui ſuperiori vento utebatur, & duas Hiſpanicas certamen quoque ortum, ſed illę tenebrarum præſidio evaſêre, & niſi iniqua fortunæ noſtræ nox adventaſſet, omnes ad internecionem deletæ fuiſſent. Ita poſtridie, cum tenebris tectæ quam occultiſſimè evaſiſſent, exemptæ conſpectui noſtro fœdâ fuga vix portum receperunt. Ex Noſtris quatuordecim tantum occubuerunt, neque ultra quindecim ſauciati, præ cæteris navibus inprimis Prætoria cunctis velis laceratis, triginta juxta aquas foraminibus hiſcens ægre ferventibus operis fabrilibus reſtituta fuit.

CAPUT XLVIII.

CENTVRIONIS IACOBI STENBACHII PRÆLIVM CVM HISPANICA CLASSE, Anno cIↃ IↃ cXXIII.

IMperio Præfecti Swartehontii, Jacobus Stenbachius imperterritus centurio complures onerarias naves Genuam,

nuam, Liburnumque deduxerat, atque iterum cum quatuor mercatoriis in altum profectus circa Gibraltaram cum hostili classe acre certamen conseruit. Propræfectus Ioannes Fachardus, virtute nobilis, in quinque naveis summum imperium obtinebat : quarum princeps quadraginta octo æneis machinis, quingentis militibus stipata, horrorem mari incusserat, treis galeones triginta sex æneis tormentis, una Gallica viginti duobus, militum complures centurias vectabant. Quibus unâ bellicâ, & quatuor onerariis navibus, resistere difficillimum factu videbatur. Cæterum ubi ad prælium ventum, generoso pectore in immensum fortitudo crevit. Martius undique tumultus, & machinarum sonitus mentes conciverat, ingenti spiritu pectus concutiebatur, & præ ulciscendi cupidine totum corpus fluctuabat, horridus clamor & furiosa vocis eruptio colla distenderat, manus & pedes inquieti, atque ad perniciem intentandam hostibus celeres. Inter Prætoriam dein hostilem, & nostram bellicam acerrime, si unquam, dimicatum fuit. Cum enim hostis propius adventasset, verberibusque machinarum nonnullos ex sociis è medio sustulisset, Nostri undique supra & infra tormentis explosis ita Prætoriam dedolarunt, ut ingenti foramine ad proram compages laxarentur. Ita invicem lateribus junctis ferociter per integram horam pugnatum fuit, donec vento mutato (ante enim caurus, tunc euronotus surgens vela impleverat) prætoria hostilis fluitans puppim prorę nostræ insereret. Tum demum juventus nautica non votis tântum, vel suppliciis muliebribus auxilia cælitum implorare, sed laborando, enitendo, efferveſcente circa cor sanguine, omnem

operam intendere. Ipſe labos & periculum generoſos animos nutriebat. Sex æneis machinis hoſtilis porticus una coöperta (duæ enim erant) diſſiluit, ruptiſque obicibus late ſtragem edidit. Miles huc atque illuc circumcurſare, neque volitantibus aſſeribus ulli loco ſatis fidere, pavore attoniti nihil penſi conſultique habere. Non emicabant tantum denſis undique machinis horrenda Martis fulmina, terribilique ſqualore horridæ fumi tempeſtates diem occultaverant, cæterum & nauarchi cubile ignibus ardens horrorem auxerat. Interea Fachardus, minoriſque ſortis Præfecti, quibus indignatione concitum pectus æſtuabat, milites ſtrictis gladiis ad puppim cogere, & niſi pugnare cuperent, mortem minari. Cæterum nullę res bene procedunt, ubi degeneri trepidatione artus intremuere, turbata omnia & confuſa, metu contunditur animus, & feſtinando, agendo, nihil agit. Atque adeo Stenbachius ita rurſum tormenta contra hoſtem torſit, uti cadavera, ſanguinemque horribili ſpectaculo diu mare volveret, ingentique clamore, mixtoque ejulatu cuncta perſonarent. Fugientem per medium horę inſecuto noſtro Præfecto, tenebrę noctis ingruentes texerunt, certoque eripuerunt exitio. Eadem ſors cæterarum navium, quæ valde quaſſatę ægre ſe recepe-runt. Stenbachius, cum Fretum Gaditanum ſeptendecim aliis navibus inſideretur, Africam verſus vela intendit, atque Algierę (Fœdus enim cum Baſſa ictum erat) naveis reparari curavit.

CAP.

CAP. XLIX.

DE ILLVSTRI EXPEDITIONE SVB PRÆFECTO JACOBO WILLEKENO, ET VICARIO PETRO HEINIO,

ANNO CIↃ IↃ CXXIII ET XXIV.

SOCIETATE Indiæ occidentalis edicto Procerum ſtabilita, intima perrumpere novi orbis penetralia Directoribus viſum fuit. Magnis facinoribus prima initia conſtant, & prima fama in mentibus mortalium validiſſima eſſe ſolet. Jacobo Willekeno Præfecto militiæ maritimę veteri illa Provincia mandatur, uti inſtructiſſima claſſe viginti ſex navium fortunam experiretur. Militaribus copiis præerat Tribunus Ioannes Dorthius militię expertus, conſiliorumque ſagax. Claſſis illa partim anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio menſe Decembri, partim ſequenti Januario vela ventis dederat. Secunda navigatione Promontorium viride, inſulasque, quæ veterum Gorgones ſive Heſperides eſſe creduntur, quæque à Ludovico Cadamuſto anno CIↃ CCCC XL, decem numero inventæ ſunt, Imperator obtinuerat, ibique juxta inſulam S. Vincentii opperiundis cæteris commorabatur. Sola navis, cui Hollandię inſigne erat, qua Tribunus Dorthius vectabatur, ventorum fluctuumque impetu uſque ad Serram Lionam abrepta, quę à Promontorio ultra centum leucas, Oliviera teſte, diſſita eſt, claſſi non niſi expeditione conſummata juncta fuit. Interea dum cæteros opperitur

Imperator, nauticam & militarem pubem ignavia & socordia torpescere non permisit, continuis exercitiis militareis animos fatigare, atque uti otii adjumenta tollerentur, cymbarum partes, quas nondum compaginatas secum sumpserat, adaptare, corbes munitorios omni opera nectere, denique quicquid usui militari excogitari poterat, præparare jussit. Dein cum cæterę omnes naves fœliciter eodem jam diu appulissent, Imperator frustra tribunitia navi expectata varius agitabatur, an itineri se daret, an longiorem moram institueret, tandem è re esse judicavit, ne agendi tempus transmitteretur, & prolatando tempus bona occasio perderetur, vela totius classis intendere. Simul literas arcanas Concilio secreto militari aperit, quîs ex mandato undeviginti virûm continebatur, uti civitatem S. Salvatoris adoriri, atque expugnare omnibus viribus niterentur. Cuncti admodum Præfecti militares patrando tanto facinori sacramento se invicem adegêre, & quæ expeditioni conficiundę necessaria consiliis junctis constituerunt. Neque enim res tam ardua & difficilis sola virtute militari, verum & prudentię ingeniique viribus potissimum sustentari poterat. Ad quartum demum Maji Brasiliæ ora in conspectum venit, adversoque vento, namque status, quod insolens illis regionibus, non flabat, & malacia distenti, octavo demum ejusdem mensis die ad ostium sinus Sanctorum anchoras jecerunt. Imperator negotio tam arduo intentus, quique præclari facinoris famam quærebat, communi Præfectorum consilio ita constituit, divisis copiis terra marique hostem adoriri. Quatuor nauigiis unique celoci militem imponere, & cymbis septem juxta munimentum

tum S. Antonii syrti arenaceę committere, atque ita urbem invadere, reliquis navibus intima sinus penetrare, hostem utrinque fatigare, omnium sederat sententia. Neque vero talibus viris ullus labos insolitus, sed utrinque gloriæ maximum certamen erat. Eodem enim tempore medio diei miles syrtim arenaceam ascendit, & pubes nautica in ipso sinu urbi terrorem injecit. Adventante classe ex valido munimento Tapesipe, & castello S. Philippi, inprimis ex arce valida, quæ rupi imposita, aquisque circumflua urbi imminebat, tam horrenda & feralis tempestas ingruit, uti tormentis undique sævientibus, densissimæ fumi tenebrę, perpetuus ignium intermicantium splendor, machinarum non secus atque tonitruum continens mugitus, globorum violenti turbines, confundere elementa, & cælum ipsum terræ miscere videretur; denique ad terrorem extremę calamitatis cuncta composita essent. Verum Nostris, qui vitam ac mortem juxta æstimabant, nullus locus asper & inaccessus, atque extrema pericula virtus imperterrita domuerat. Petrus Heinius classis vicarius, virtutis nobile exemplum, intra ictum sclopetorum junctis navigiis, Geldria, Groninga, & Nassavia, contra suggestum tormentorum, propinquasque naveis Lusitanas quindecim numero, incredibile facinus patrare properabat. Neque hostis, ubi ferox prælium sævire ac miscere omnia cepit, quicquam pensi atque moderati habuit. Usque ad septimam horam vespertinam atrociter pugnatum, quisque labores, pericula, ipsam mortem facile tolerare, prorsus in vultu facieque ingens vincendi cupido flagrabat. Cæterum Propræfectus, ubi nequicquam densis tormentorum

ictibus rem agi prospicit,& navigium,Groninga nomine,ita dedolatũ esset,uti defensioni impar velut impotens huc atq; illuc fluctuaret (præter cæteros enim, qui in itinere perierant, vel cum morbo conflictabantur, quinquaginta tantum sani supererant) è re judicavit, treis cymbas viginti sociis navalibus implere, uti incredibili audacia in naves hostiles insilirent, victoriamque extorquerent. Qui tanquam effusa tempestate cum præcipites in hostes agerentur, tanta subito illos incessit consternatio, ut relictis navibus fugę se darent, maximę omnium igneis immitterent, queîs & aliæ tres exarsêre: octo alię victoribus cesserunt. Imperator insistendum occasioni ratus vicario mandat, ut quatuordecim cymbis viginti itidem sociis navalibus instructis, quos multis & magnis tempestatibus fortissimos esse noverat, in lapideum ex topho candido tormentorum suggestum, quem rupi impositum urbi imminere diximus, ex quo ingens damnum navibus nostris infligebatur, eniti tentaret. Petra erat inaccessa, lævis, novem pedes ex aquis alta, expugnatu difficillima, insederant eam sexcenti milites. Hic, inquit Heinius, socii & fratres, virtutis vestræ scopulus, huc vos expeditos juvenes exercitatę pernicitatis transilire oportet. Invenietis viam virtute & fortitudine vestra. Nihil tam arduum natura constituit, quo non assurgat sublimis generositas. Experiundo & laborando, quę cæteri desperant, perficiuntur. Dixerat, simulque cum eo socii imperterrito animo contra majorum minorumque globorum densos turbines tanta pertinacia & pernicitate iverunt, uti, humeris invicem nixi, perticisque nauticis sublevati, incredibile dictu, inaccessum locum superarent.

Atto-

Attoniti illi, qui insederant, turbatique, fugiendo festinare, neque nostrorum insultum expectare, per aquas plurimis interfectis in urbem contendere. Post tubicinem primus Petrus Heinius murum ascendere, hostem ferire, ferrum vibrare, adversus omnes difficultates luctari, quîs accensa nautica pubes, animosa gens & casibus infracta, se post Præfectum transiliisse veluti indignabatur. Cæterum quia interius nullâ loricâ petra illa munita erat, continuis fistularum globis Nostri impetebantur, quanquam duobus illic tormentis positis, nudum quoque hostium latus gravi damno quassaretur, summusque terror consternatis pavore incuteretur, tenebris tamen appetentibus recipere se Præfectus consultum censuit, inprimis quia pugnando juventus lassata, neque pulveris pyrii copia suppetebat: tormenta hostilia perforata, ne usui postmodum forent. Postridie, refectis somno viribus, classiarii iterum urbi incumbebant, verum comperto Nostros, qui terrâ fortunam experti fuerant, urbe potitos, cuncta munimenta deserta, nisi quod primâ luce in Tagasipe aliquotiens tormenta excussa forent, quam celerrime iis se Vicarius junxit. Terrestris namque miles, quæ pridie per syrtim arenaceam se terræ commiserat, angusto tramite, ubi facile ab hoste sisti potuerat, primo excubias, dein urbem tentaverat. Oppidani quidem primo impetu graviter nostros sauciabant, adeò quidem ut Allardus Scoutenus, qui pro tribuno militari Dorthio absente imperabat, disjectum jam militem suâ autoritate sisteret. Noctis tenebræ prælium hoc non incruentum diremerunt. Verum caligine hostilis terror geminatus, tantaque repente concitam civitatem consternatio

inva-

invaſit, ut ſibi ſuisque diffiderent. Suo quisque metu pericula metiri, cunctari, atque iterum feſtinare, inconſulte omnia agere, vacuam denique civitatem opesque per ſummam vecordiam relinquere, maximoque tumultu vicinis ſylvis nemorumque ſecretis ſe abdere. Jnter primos Marcus Teixera Epiſcopus cum ſexcentis ſe ſubduxit. Ceterum Præfectus urbi Didacus Mendoza de Furtado, ne tam fœdæ fugę perfidiæque, ut loquebatur, conſors eſſet, cum filio familiaque in urbe extrema expectavit. Miles noſter natura ferox, manu promptus, prædę avidus, quique in celeritate omne momentum ponebat, crepera luce leviori bus tormentis frangere portę obices in animum induxerat ſuum, verum Luſitani indicio, qui candidum pacis velum extra muros oſtentans deſertam urbem monebat, inſidias primo metuens, apertis portis, compoſitis ordinibus urbem ingreſſus, nihil hoſtile reperiens in opulentiſſima civitate prædę effreni licentiæ ſe dedit, fana atque domos mercatorum ſpoliare, argenti pretioſarumque merciũm immenſam vim trahere, atq; pari luxu prodigere, diſciplinæ omnis exorteis inſolitis lubidinibus ſe mancipare, tam improbam aleam exercere, ut non numerarent, ſed metirentur argentum. Et quanquam poſt tantam licentiam Imperator claſſis modum imponere tentaret, nihil tamen penſi habitũ. Sericę aliæq; pretioſę merces, quę occultari ab effrenato milite nequibant, in plateis pedibus calcabantur: quæ poſtmodum compoſita in Ieſuitarum collegium delata ſunt. In urbe vicinisq; munimentis tormenta ærea viginti & tria, ferrea viginti & ſex reperta. Interea oceano vagus Tribunus Dorthius, fruſtra quæſitâ claſſe, oſtium Bahiæ penetravit,

vit, urbem captam, cui deſtinatus fuerat Gubernator, comperit, nihil prius agendum ratus, quam ut autoritate ſua diſciplinam militarem reſtitueret, effrenem juventutem coërceret, quæ luxu perdita præceps lubidinibus ſuis morem gerebat. Erat tribunus prælio ſtrenuus, & autoritate ſeverus, qui ubi licentia militum maximis ſe circumveniri difficultatibus vidit, rigida edicta propoſuit, ſine quîs perdita pubes in ordinem redigi nequibat. Et jam immutata rerum facies erat, cum tribunus ad decimum & ſeptimum diem Maji ſtipatus quinquaginta ſclopetariis nō procul ab urbe à Braſilianis, qui teſquis & ſaltuoſis in locis ſe occultaverant, ex improviſo telis confoſſus occubuit. Corpus ſectum, projectum, caput amputatum, ludibrioque habitum; cæterum Æthiopes, qui noſtrarum partium erant, pulſis Braſilianis corpus in urbē retulerunt, cæterisque, quos eadem ſors manebat, ſubſidio fuerunt. Ingens detrimentum in tanti viri funeſto obitu Reſp. cepit, rebus adhuc in civitate fluctuantibus. Namque & peritia militari & autoritate pollebat, conſiliorumque prudentiam cum invictâ fortitudine junxerat, multi laboris & ſolertię, &, quod difficillimum eſſe ſolet, illibata autoritate ſummę apud militem gratiæ & favoris, cujus morte cuncta poſtmodum licentiâ negligentiaque peſſum iêre. Magnum alioqui momentum ſocietati in hâc victoria fuit, quippe capta fuit urbs nobilis, Præfecturę Braſiliæ metropolis, commerciorum, divitiarumque horreum, aqua tenus inacceſſa, edito enim colle poſita (conſtruxerat illam Thomas Zouza gubernator) centum ulnis majoribus, quantum inter extenſas manus continetur, ardua, vepretis & teſquis invia: ex

qua navigatio in Orientem, (insula enim S.Helenæ tribus tantum gradibus distat) & Peruviana impediri poterat. Quæ uti glorioſe victa, ita fœde perdita, opprobrium Noſtris fuit. Quippe uti in occupanda urbe majores fuerunt, quam viri, ita in tutandâ minores, quam fœminæ. Et qui ante vitam atque mortem juxta æſtimaverant, victi fœdis voluptatibus, fractis ſocordia & luxu Imperatorum & militum animis, urbem nobiliſſimam perfida deditione Franciſco Toletano, claſſis Hiſpanicæ Præfecto, tradidere, antequam ferme ad arma ventum eſſet: & quanquam ſuppetias in propinquo eſſe non ignorarent (ad octavum enim Decembris nuntium acceperant) ſcelera ſceleribus auxerunt. Ita caſſa claſſis noſtrę potentiſſimæ fuit expeditio, quæ octodecim majoribus navigiis, & ſeptem liburnicis conſtabat, quæque claſſiarios mille ſexcentos nonaginta, mille trecentos quinquaginta milites vectabat. Et quanquam advorſa tempeſtate jactata ſerius adventaverit, nullum tamen grave periculum eos urgebat, uti mortis metu nutantes, ſicuti Toletano lubuerat, conditiones acciperent.

CAPUT L.

EXPEDITIO NAVALIS SUB PRAEFECTO JACOBO HEREMITA, ET RES GESTÆ, Anno clɔ Iɔ c xxiii. et sequentibus.

IAcobus Heremita claſſis Imperator novem probe inſtructis navibus, celocibusque duabus, mari ſe anno clɔ-

cIↃ IↃ C XXIII commiſerat, uti in India Occidentali nervos potentię Hiſpanicę contunderet, frangeretque, regiisque theſauris immineret. Hæc claſſis mille ſexcentis, & quod excurrit, viris referta, ducentis nonaginta quatuor æreis ferreisque tormentis horribilis, impenſis Procerum ſocietatisque Indicæ conſtructa, omnia magna promittebat. Non tam juſta prælia, quam poſt crebras velitationes compluribus onerariis navigiis direptis (inter quæ quatuor Hiſpanica ſaccharo onuſta) opima ſpolia non ignobilem hanc expeditionem fecêre. Sequenti dein anno, cum ſuperato freto Auſtrali juxta Limam inſulam ventum, naviculâ, quam Prorex Peruvianus exploratum miſerat, interceptâ, ex captivo centurione Martino Del Rea compertum, treis naves argentiferas probe onuſtas cum duabus bellicis Pantamam vorſus vela direxiſſe, Prætoriam navem, cum galeone quadraginta æneis machinis munita, onerarias ſupra quadraginta juxta tormentorum tria ſuggeſta, quò ſecuritati ſuæ conſulerent, ſe recepiſſe. Erant hæc ſuggeſta lapidea ſex vel ſeptem tormentis inſtructa, cætera enim quinquaginta majori violentię arcendæ vicino litore expoſita fuerant. Metuebat enim Prorex, ne claſſis noſtra, quam præcipiti cupiditate circa omnes terras, omnia maria ſpes lucri duxerat, urbi inſulæque hoſtilia intentaret. Neque animus Noſtris deërat pulcherrimi patrandi facinoris, jamque adeo quinque militum centurię, & quinque claſſiariorum cymbis impoſitæ, uti Callao & flumen inter vicinam tellurem arriperent, cæterum concitus fervor aquarum circa litora, profluentemque, ſpem omnem acceſſus intercideraſ, denſataque Hiſpanorum agmina tel-

luris extima circa ipsa maris æstuaria insederant. Cum reluctantibus itaque aquarum vorticibus, & hoste simul velle pugnare, multum se fatigare, neque quicquam proficere, verum sibi ipsis certum exitium properare, ea demum dementia videbatur. Cum hæc itaque expeditio injuria loci ægre procederet, in alias arteis versare se animus Imperatoris cepit. Jussum, uti centuriones aliquot duodecim cymbis armatis, quibus ærei dracunculi, ignivomęque machinæ, ad incendia hostilibus navibus immittenda abunde suppetebant, intempesta nocte classem adorirentur. Et prospere ex voto cessit Fortuna: quadraginta circiter naveis vel nostris ignibus, vel sparso vicino incendio concremabantur, pulcherrimo nocte spectaculo, cum veluti festivus & triumphalis dies mari incubuisse videretur. Et hæc opportuna nobis res cecidit, quod, Martio tumultu ad aliam partem urbis septentrionalem concitato, perculsi oppidani illac, ubi nullum periculum erat, concursarent. Dein ubi cymbis nostris ex ordine Hispanicæ naves ignem concepissent, & cælum antè nocte atque nubibus obscuratum haud suis ignibus late fulgeret, periculum anceps periculi metu augebatur. Interea animo confirmato hostes ex propinquis tormentorum suggestis, galeone binisque navibus, quas patachas vocant, vicinoque litore machinas omnes torquere, Nostri dracunculis missilia spargere, & post principia Hispanicarum navium (quædam enim inermes, & forte non exarserant) latitare, postremo cum illic manere tutum non foret, se classem vorsus iterum recipere. Ita totam ferme classem furor ignium consumpsit, paucarum incendium ab Hispanis, Barbarisque ægre extinctum. Audax hoc faci-

facinus, neque minor victoria. Quanquam autem rebus ex voto fluentibus, non tamen rectum consilium fuerat, igneis navibus immittere, cum præcisis anchorariis funibus facile omnes in potestatem nostram incidissent, quod ventus turgidus, qui ex tellure incrementum capiebat, illas vorsus interiora maris fluitantes agitasset. Sicuti prima luce novem Hispanicę ignibus feralibus ardentes ita movebantur, uti stationem suam deserere, ne itidem ignibus fædarentur, Nostris necessitas incubuerit. Commemorat Sandius historicus, interea duos centuriones Regnerum Brederodium, & Engelbertum Scuttum, duobus navigiis Punam insulam, & superatis quatuor navibus Guajaquelum urbem, post atrocem pugnam occupasse, & mercibus opibusque refertam, ne spoliis incumberet prædę avida juventus, &, ut fieri solet, palabunda ab hostibus cæderetur, ignibus feralibus subjecisse. Cæterum diaria, advorsa sorte fusos Nostros, Punæque insulę pagum incensum, referunt.

CAPUT LI.

PRÆLIVM INTER PRÆFECTVM PHILIPPVM DE ZVILEN, ET VNDECIM NAVES HOSTILES CIRCA LOANDAM, ANNO clolocxxiv *MENSE IVNIO, NOMINE SOCIETATIS OCCIDENTALIS.*

POSTQUAM Philippus Zulius Præfectus aliquot navium, Commendatoris titulo, circa oram Africæ marc

infestassет, plureis naves superassет, fugassет, vel in arenarum vada adegissет, Loandam Africę insulam, quæ ad quinque miliaria patet, aggredi in animum induxit suum. Cæterum classe undecim navium secundo vento hosti, quamprimum Nostris occurrere, consultum videbatur, cum avortere, quam, ubi viscеribus alicujus regionis insederit, disjicere victorem magis proclive sit. Quo comperto Prefectus levatis anchoris, plenis velis, animi immodicus in hostem ferebatur. Acerrime utrinque pugnatum displosis continuis tormentorum globis, cæterum hosti virtutis nostræ inexperto primus fervor, atque impetus subito liquescebat, & in torporem solvebatur. Animose incipere prælium multorum, sed per cædes & igneis ad victoriam grassari illorum est, qui nihil metuunt, nisi ut vincantur. Neque diu pugnatum, cum quatuor hostiles naves feralibus conflagrarunt ignibus, prætoria & vicaria cum noctiluca litoribus ultro allisę, una fugiendo vadis adacta. Duę alię occupatę, quę & postmodum redemptę. Postridie Prætoriam, duasque reliquas, quę fixę hærebant, Nostri propius accedentes tormentis ita quassarunt, uti tandem ignem conciperent, quanquam ex iisdem, quandoquidem desperatio ultimum necessitatis telum virtutem illorum acueret, creberrimos globos ejacularentur. Postquam pulcherrimum hoc facinus bene cecidissет, ne quid reliqui victis facerent Nostri, ubi medium diei processit, aliam navem vadis impactam impetere tentarunt. Conferta pubes in treis cymbas jussu Præfecti insiliit, atque ipse, quo animos adderet, in vicinum lembum se permisit. Cæteri omnes, viri strenui, virtute Imperatoris accensi, summa celeritate

foros

foros transilire, ferro iter aperire, denique audaciam pro munimento habere. Cæterum virtuti illorum Fortuna postmodum invidit, cum ex vicina tellure tam acriter globis impeterentur, ut necessitudo gravis se recipiendi eos premeret, adeò quidem ut neque ignem injiciendi copia daretur. Nonnulli occisi vulneratique, inter quos & ipse Præfectus vulnere advorso saucius. Victoria tamen eò non minor fuit, cum per omnes asperitates eluctari, ne quidem ipsa virtus permittat. Ex hostibus summa cum turpitudine plerique ex navibus se terrę dederant, cæsi nonnulli vel submersi, pauci capti. Tres ex nostris modica navi, quam patacham vocant, in litus adacti, in hostium manus pervenerant. Quibus permutandis cum tertia parte plureis ex captivis Lusitanis hosti offerrentur, Gubernator atque Episcopus Loandę fœdam & indignam conditionem proposuerunt, uti pro tribus captivis omnes admodum Lusitani & Æthiopes dimitterentur, binæ superatæ naves restituerentur. Quæ intoleranda conditio ludibrio Nostris habita, cum victi victoribus summo cum opprobrio insultarent, neque captivorum ea habita ratio, ut alienæ & impotenti superbiæ obnoxii forent. Naves integræ immensa postmodum pecunia redemptę. Neque multo post Nicolaus de Sosa, qui imperium urbis & insulæ recens obtinebat, treis captivos obtulit, pro quo officio humanitatis viginti Lusitani vinclis exoluti. Juxta urbem Loandam, atque intra sinum viginti admodum naves, inter quas & actuariæ, stationem fixerant. Etsi autem Nostri neque consilii, neque audacię unquam eguere, tamen in certum periculum velle incurrere, inconsultum videbatur. Deerat

rat locorum peritus nauta, qui vada & ſicca arenarum exploraret, ſine quo ab illis caveri nequibat: duoque in litore ſuggeſtus tormentorum arcere adventantes poterant. Cæterum non tam tormentorum ictus, quàm brevia metuebant, queis ſi hærerent, in extremo Fortuna illorum ſita fuiſſet. Itaque providebat Præfectus, ne tale quid eveniret, vincendique cupiditate, ipſi vincerentur. Audacia quidem propior fortitudini eſt, cæterum temeritatem nemo unquam ſapiens laudavit. Oſtio quidem auſtrali Loandę, Prefectus urbis cum tribus ſe oſtentaverat navigiis, verum nihil ibi virtus vel audacia poterant, quia periculoſa itidem vada imminebant, atque ſuggeſtus decem tormentorum capax introitum prohibebat. Neque à peritis locorum facile illa cęca arenarum vitabantur, cum ipſa illa tria navigia remulco difficili niſu inter ſyrtes veluti, & charybdes attraherentur. Ne itaque hic tempus fruſtra conſumerent, iterum pelago incumbere, incerta caſuum, quę mare volvit, tentare, Fortunam in diripiendis hoſtilibus navibus experiri. Atque adeo virtute, & Diis volentibus, proſpere omnia ceſsêre. Victę plures circumcirca naves mercibus divites. Terror ubique hoſtem proſtraverat, dum per ignaviam & inertiam magis incurrerent in manus noſtras, quam armis vincerentur.

CAP.

CAPUT LII.

ACERRIMVM PRAELIVM INTER LVSITANICAM CLASSEM, ET HOLLANDICAS ANGLICASQVE NAVES.

ANNO CIↃ IↃ C XXVI.

HOc anno inter Luſitanos, qui antea à Britannis Ormo inſula pulſi fuerant, & Anglicas, Hollandicasq; naveis juxta Perſiæ oram longe acerrima fuere prælia. Hoſtes, præter quatuordecim minores naves (Fregattas vocant) octo galeonibus, & quingentis æreis tormentis terribiles erant. Noſtrę naveis quatuor numero, uti & Britannicę, humiles præ magnitudine hoſtilium navium liburnicarum ſpeciem oſtentabant. Undecimo Februarii die cruento admodum prælio mare per quatuor horas efferbuit, dum antea Britanni Hollandique uſque ad extrema vitæ ſe invicem ſacramento devoviſſent. Memorabilis inprimis navis Hollandicę, cui Virginis Dordracenę nomen, virtus exarſit, quę oneraria & octodecim tantum machinis inſtructa, medio hoſtium fluitans, per integram horam cum quinque galeonibus invictas manus conſeruit. Neque ſudo mari ſuppetię in promptu. Hoſtibus cupidine victorię flagrantibus, animus ſupra modum accrevit: Noſtris omnem violentiam ipſa etiam morte vincere, quam cum opprobrio vinci, ſatius videbatur. Surgente leni vento ab hoſtibus non tantum, verum etiam ab amicis diviſi, pelago agitabantur. Virtute itaq; æquabili & inviolata per medios hoſtes ruere, fu-

rioſoque inſultu ad ſuos revorti, audax conſilium ſedit. Et Fortuna illis quanquam gravi & ancipiti periculo benè ceſſit : ipſa tamen navis bis ignibus incenſa confeſtim iterum extincta fuit. Neque minor interea alterius navis noſtrę (Weſopum indigetabatur) fortitudo gliſcebat, quę vicarię hoſtili innexa (& prætoria cæterę que naves hoſtiles in propinquo erant) tam cruento certamine dimicavit, uti harpagonibus disjectis ægre ſe vicaria reciperet, cum omni apparatu bellico & ſexaginta tormentis inſtructiſſima eſſet. Interea concito vento Noſtri quinque junctis navibus hoſtes fatigando vincere ſummo ſtudio adnitebantur. Neque illi impotentes & laſſi pugna reluctari amplius quibant, cadaveribus continuo in mare volvendis intenti. Nox atrox prælium diremit : Luſitanique juxta inſulam Kiſmiſium, Noſtri prope Ormuſium anchoras fixerunt. Secundo poſt hoc prælium die multo adhuc atrocius dimicatum eſt, adeò ut anceps utrinque victoria eſſet. Arbores hoſtium paſſim mutilę vel fractę, autenneque gementes jactabantur, Virgo autem Dordracena ita velis pertuſa fuit, ut nec ullus quidem integer nauticus funis eſſet. Navicula quoque incendiaria in hoſtem miſſa, ſed fruſtraneo niſu. Tracto per integrum diem prælio noctis præſidio tuti hoſtes prope Ormuſium, Noſtri juxta Gamerona oppidũ ſubſederunt. Poſtridie Luſitani prope Larequam inſulam, quam infida vada prætexunt, ſe recepêre. Compertumque poſt modum, nigris vexillis erectis, Præfectum claſſis Alfonſum Boutelium filium Proregis extremum diem clauſiſſe. Poſt aliquot dies, cum Surattam vorſus iter inſtituere, ex ſententia omnibus rebus paratis compoſitisque, Noſtri decreviſſent, Luſitani metuen-

metuentes, ne iterum præliandi difficultate circumvenirentur, quantum possunt celerrime fugiendo patentia æquora secant, & versus oram Persicam Muscetum oppidum petunt. Postridie, quod hostium naves arboribus antennisque mutilę tam propere expedire iter nequirent, tanto horrore iterum certamen cæptum, uti prætoria incensa vix extingueretur, tres alię sibi invicem innexę hæsitarent. Obscuro noctis evasere, & propter arcem oppidi stationem securam elegerunt. Tam cruentis & atrocibus præliis ex Britannis Hollandisque octuaginta cæsi, complures vulnerati, ex Lusitanis præter saucios ultra mille necati, sola calamitate nobiles.

CAPUT LIII.

PRÆLIVM INTER VVIBRANDVM SCHRAMMIVM PRÆFECTVM CLASSIS INDICÆ, ET PRÆDONEM NICOLAVM COMPANVM, Anno cIↃ IↃ c xxvi.

VIBRANDUS Schrammius Præfectus classis Indicæ novem navigiis anno cIↃ IↃ c xxvi mense Majo mari se commiserat, duobusque postmodum mensibus portum Sierrę Lionę petebat. Cæterum conspectis quatuor navigiis, dum in dubio mens hærebat, an hostes an amici forent, ubi propius accessum, compertum famosum esse prædonem Companum, qui fœdis rapinis ubique maria infestabat, complurium mercatorum nostrorum for-

tunas affixerat, & homo profanus ſcelera ſceleribus cumulaverat, multorum quoq; facinoroſorum catervas tanquam ſtipatas circa ſe habebat. Quanquam autem ille amicitiam obtenderet, tamen Imperator noſter omnia ad prælium compoſuerat, quod prædonis animus ſubdolus, cujuſlibet rei ſimulator ac diſſimulator, ardens prædę cupiditate, unicuique pateret. Dictitabat ille ſe priorum facinorum pertæſum codicillos veniales expectare, poſtulabatque ſimul uti cymba noſtra vicinę telluri, ubi vultu facieque ignotus erat, exponeretur. Quod cum negaretur, quæſita hac occaſione hoſtilia animo volvere cepit, ſanguineoque erecto vexillo in principem navium Hollandiam ſolita animi ferocia præceps ferebatur, verbisque tumidis ſe contumeliam manu vindicaturum affirmabat. Reſponſum à Noſtris, ſe verba incruenta non metuere, ſi pugnandi conſilium eſſet, experturum, quibus cum viris manus conſereret, eligeret nunc, an pacem an bellum cuperet. Cæterum ille animi impotens, tormentis excuſſis, junctisque aliis navigiis navem noſtram undique premere, illique ſe innectere tentabat. Verum pubes noſtra nautica, incredibile memoratu eſt, quantum virtutem intenderit, quantaque vi tela majora minoraque torſerit, adeò ut promiſcuè cadaveribus tabulata tegerentur, cæterique metu perculſi carina ſe recipere cogerentur. Ipſe Companus, qui gladium vibrans ferociam in vultu oſtentabat, ubi telorum iterum nimbus ingruebat, pronus in ventrem ſe miſit, brachioque faucius ad inferiorem receſſum proreptavit. Cum cominus res non procederet, eminus tormentis navem undique fatigare, atque ad deditionem cogere, conſtituit. Sed Hollandia navis præcipiti

cipiti insultu in hostem ferebatur, fistularumque militarium certis ictibus continuo ita illum impetebat, uti cæsorum cruor horribili specie passim in mare funderetur. Vicaria hostilis admodum dedolata, multisque foraminibus pertusa ac dilacerata, fugæ propior, ne vis aquarum illam opprimeret, paulum secessit. Non procul una ex liburnicis nostris machinas quoq; torquebat, quam adoriri primum hostis non affectabat, quod principe navi, uti sperabat, superata, illa se subducere nequiret. Cæterum cum illam debellare, longe opinione asperius acerbiusque foret, mutato consilio liburnicam adoriuntur, verum omnibus expansis velis ilicet suppetias ferebat Prætoria nostra, omnibusque ex latere machinis explosis, superiore vento usus, tanto horrore omnes territavit, ut nemo supra tabulata se sistere auderet, vel vela majora intendere, uti præsenti se subducerent periculo. Itaque Companus, uti in rebus advorsis fieri solet, consiliorum expers in vicina vada impegit, ne Nostris insectandi copia vel facultas esset. Interea prætoria & liburnica nostra in altum profectæ, relliquos prædones cingere nitebantur, sed elapsi in fuga salutem quæsiverunt. Tanta jam illos incesserat consternatio, uti postmodum compertum fuit, ut deditionem agitaverint. Pauci ex Nostris fuere vulnerati vel cæsi, sed princeps navis nostra admodum fuit quassata, ita ut triduo vix se expedire iterum potuerit. Virtus quoque & prudentia prædonis hoc prælio emicuit, quippe pollebat magna vi animi & corporis, rerum maritimarum vetus, animus, supra quam cuiquam credibile est, audax, subdolus, cædibus & rapinis innutritus. Eundem postmodum Nostri, prædonesque portum tetigere, metu

piratis perculsis, ne manus nostras iterum violentas experirentur. Imperatum, ut prædo stationem suam desereret, quod post multas contentiones detrectare nequivit.

CAPUT LIV.

MEMORABILIS PRÆTORIÆ HISPANICÆ CLADES, A NOVEM CLASSIARIIS PERPETRATA, ANNO EODEM.

Cum mare nostrum hostium damna non caperet, complures Belgę, qui Regias partes sectabantur, in Hispaniam migraverant, societatemque inierant, uti cunctas naveis, quę Hollandica commercia vectabant, interciperent. Unusquisque nulla gentis habita ratione ducere, trahere, rapere, sine modo modestiaque polluere, vastare omnia, donec brevi societas ita adolevit, uti quinque naves in mare ducerent, cujus Prætorię Busencolius Dunkerkanus summo cum imperio præerat. Hæc navis, quę à Dantiscanis capta fuerat, quatuor æreis, triginta ferreis machinis cincta, milite Hispano insidebatur, pubes nautica variarum gentium militia atque inopia urgebatur. Inter illos novem classiarii Belgæ, qui occupata Bahia captivorum numerum auxerant, servitutis impatientes, quovis modo navem vincere, injustę potentię obviam ire, victos acerbius ulciscì, quanquam mortis periculo, in animum induxerunt suum. Per duos menses cunctando, opportunum tempus opperiendo, res ex voto non succedebat. Sed quia magna facinora ægre differuntur, & celeritate constant, conju-

conjurationis Princeps cum ſociis concubia nocte, Hiſpanos, qui excubias agitabant, cum Præfecto, magno & feroci animo trucidat. Plerique cæſi ex Hiſpanis, antequam inſolitus tumultus claſſiarios alios ſomno preſſos excitavit. Qui periculi magnitudine commoti, uti rebus trepidis fieri ſolet, conſiliis fluctuare, concurſationibus periculum anceps augere, neque armis obniti, neque conjuratos adjutare. Quæſiti, an partium ſuarum ſtudia ſectari cuperent, an potius ferro decernere, in partes pedibus ſeceſſerunt. Electus in centurionem conjuratorum primus, cæteri in ſacramentum militare acti. Inventi poſtmodum quindecim Hiſpani, quos fortuna occultaverat, quorum ſupplicum ſanguini parcere, victoribus clementia videbatur. Abducta navi in Texelię ſtationem, centurio Hiſpanico veſtitu tanquam triumphali amictus Hagam magnis itineribus contendens, ab Auriaco, laudata ejus ſociorumque virtute, Præfecturam navis impetravit.

CAPUT LV.

DE EXPEDITIONE ET PRAELIO PETRI HEINII CVM CLASSE HOSTILI IVXTA VRBEM S. SALVATORIS IN BRASILIA. ANNO CIↃ IↃ CXXVII.

IN partes nunc veniat virtus incredibilis Petri Heinii, qui obſcuris majoribus genitus, maris non tam hoſpes quam indigena, inter ferocientes tempeſtates enutritus, horrore efferati elementi animum quoq; exaſperaverat, quinimo

imo ipſe horror & tempeſtas Oceani, ad quoſcunque caſus induratus, nullibi hoſti quietem permittebat. Præter odium Hiſpani ex inviſa dominatione, quo nautica plebes etiam domi armatur, accedebat & privata cauſa. Captus ab Hiſpanis una cum patre, ſervilem in modum habitus, flagris ac verberibus cæſus, poſtmodum triremi impoſitus, cum cæteris, quos Spinola ea tempeſtate habebat, Sluſam Flandriæ advectus, libertati demum reſtitutus, quo tempore Mendoza Arragonius ex convento captivos reddi ſuis impetraſſet. Iterum in India ad Occidentem captus, poſt biennium dimiſſus, nullis periculis territus, vitæ prodigus ubique ſe hoſti objectabat. Jam ante vicariam poteſtatem ſub Præfecto Willekeno nomine ſocietatis Indicæ obtinuerat, atque urbem S. Salvatoris in Braſilia aggreſſus, inter primos murum ſuperaverat, ſtipatam hoſtium multitudinem in fugam egerat, deniq; urbem opulentiſſimam, ut ſuperius commemoratū fuit, deſertam Luſitanis expugnaverat. Anno demum cIↃ IↃ c xxvi Prefectum claſſi ſocietas Indica, que ad Occidentem, illum communibus votis nuncupaverat. Claſſis conſtabat nové majoribus navigiis, celocibus quinque, quæ viribus modica, ſi Præfecti generalis Balduini Henrici claſſi, quæ maria ſulcabat, jungi potuiſſet, impetendæ hoſtili & Regiæ argentiferæ æqualis fuiſſet. Sed iniqua nos fortuna preſſit. Noſtri enim fruſtra quæſito Præfecto, multa maria emenſi, multis quoq; difficultatibus agitati, pluribus tamen interceptis navigiis, que commercia vectabant, tandem ex captivis intellexere Præfectum generalem Balduinum Henrici diem ultimū prope Havanam clauſiſſe, claſſiarios patriã vorſus iter direxiſſe. Inprimis Imperator noſter,

qui

qui ubique ad gloriam virtutis via graſſabatur, ereptam ſibi claſſis regię argentiferę invadendę occaſionem, non per ſocordiam vel ignaviam, ſed per infortunium, multum querebatur. Namque illa divitiis onuſta, & quadraginta ſex velis inſtructa circa promontoriũ Floridę nono Septembris die in conſpectum venerat. Quam adoriri concilio militari inconſultum viſum fuit, namq; fruſtra eniti, neq; aliud ſe fatigando quam certo periculo ſe exponere, extremę dementię erat. Per aliquot menſes pelago jactatus Kalendis Martii ſequentis anni ad portum Bahię delatus, furtim, & per inſidias hoſtilem claſſem adoriri in animum induxerat ſuum, cæterum malacia maris impediebat. Dum cunctantur, non tantum Imperatori, ſed & aliis egregiis viris, præfectis ſimul cum omni militari & nautica pube flamma virtutis glorięque ſupra modum exarſit, neque prius ſedari potuit, quam hoſtem in propriis viſceribus adorirentur. Itaq; Heinius ſecundo & turgido vento in portum hoſtilem delatus, claſſem naviũ viginti & ſex, quæ propter urbis mœnia ſuggeſtumque tormentorum ſe interius receperat, animo militari invadi imperat. Naves hoſtiles propriis tormentis munitæ, etiam urbis atque arcis, quæ valida urbem prætexebat, machinis defendebantur. Primus huc curſum intendit Archithalaſſus, ut qui primus auctoritate etiam virtute eſſet. Cumque ſe claſſi inſeruiſſet, medius inter Prætoriam vicariamque hoſtium, jaci anchoram & ſiſti iubet, attonitisque oppidanis, quo tam audax facinus abiret, cruentam pugnam inchoavit. Binæ noſtræ naves, quibus Geldriæ & Hollandiæ inſigne erat, eodem animo adoriendo hoſti anchoram fixerunt, relliquæ non confeſtim, inferiori vento agitatæ,

præſto fuerunt. A tribus itaque noſtratibus navibus tam acriter impetitę dedolatæque hoſtiles, ut deditionem ſub conditione vitæ ſponderent. Sed continuo tormentorum fragore non auditę poſtulantium voces. Neque abſtitit Heinius vicarię affixus, donec illa ita perfoderetur, ut fundum peteret, atque tres tantum ex militari manu ſuperſtites reciperentur. Interea dum ex urbe, cui Præfectus erat Didacus Ludovicus Oliverius, impiger militiæ & vetus, dum ex claſſe hoſtili terribilem in modum tormenta undique tonabant, incredibile dictu, cymbis ſocii navales cum ſclopetariis ſe dederunt, & contra denſiſſimam globorum ingentium procellam inſultarunt, audacia & celeritate admiranda foros hoſtiles transgreſſi tanto impetu ſe in naves effuderunt, uti confertus hoſtilis miles ex navibus ſe in mare præcipitem daret, atque enatando ægre ſe reciperet, cunctæ admodum naves intra teli jactum abducerentur. Quanquam autem ex omnibus munimentis, tam majoribus, quam manuariis tormentis, inſtar grandinis denſi globi torquerentur in Noſtros, tanta tamen fortitudine & virtute cuncta expedita fuerunt, ut intra tres horas victoriam hoſtibus extorſerint, ſummo Luſitanorum opprobrio atque contumeliâ. Et major hoſtium clades, quam noſtra, queîs tamen ſe defenſantibus omnia prona, noſtris adeo ardua & difficilia, ut veluti cum morte colluctandum, atque ex cymbis in faſtigia navium enitendum eſſet. Abductæ tamen viginti & duæ naves ex portus intimis penetralibus. Cæterum dum Noſtri revocare gradum ab urbe & ſuggeſtu tormentorum cupiunt, navem Prætoriam victricem, aliamque Geldrię nomine inſignem, mare niiquum

iquum deſeruit, ita ut utraque vadis hæreret. Geldria ſummo niſu laxata, Prætoria altius fixa, etſi omni ope ſuccurreret pubes nautica, liberari nequibat, & cum poſtridie omni molimine à cæteris navibus, quę propius adventarant, fruſtra idem tentatum eſſet, ita hoſtium tormentis perfoſſa fuit, ut ne quidem navis ſpeciem referret. Et cæterę quoque naves, inprimis Geldria, continuis globorum ictibus nonnihil quaſſatę fuerunt. Dum Martis hæc horribilis tempeſtas ingruit, dubiũ an negligentia an caſu incenſo pulvere pyrio navis, quę malus Auriaca indigetabatur, unà cum ſexaginta viris diſſiliit, ex quibus quatuordecim ſuperſtites, miſerè ignibus uſtulati, recepti ſunt. Imperator itaque claſſis, comperto navem Prætoriam abduci non poſſe, atque ita undique trajectam, ut navigationibus inutilis futura eſſet, prædam tolli, perfoſſisque tormentis ignem injici, atque concremari mandat. Quanquam autem horribile, atrox & diuturnum illud fuerit prælium, ex Noſtris tamen pauci quinquaginta circiter advorſis vulneribus cæſi, Imperator claſſis ſiniſtro brachio fiſtulę militaris globo vulneratus, aculeoque ligneo tibia tenus adacto ſaucius, ejusdemque vicarius manuario tormento ſub coſtis ſpuriis, non letale vulnus accepit. Prædam omnem quatuor delectis navibus, inter quas & Prætoria hoſtilis, ad ſuos propere dimiſit, cæteras expeditas maxime refici, reliquas exuri juſſit.

CAPUT LVI.

DE EIVSDEM PRÆFECTI PRÆLIO, ET VICTORIA, EODEM ANNO.

VICTOR hostium Heinius multa iterum cum animo suo volvebat, novamque victoriam meditabatur maria lustrans: neque præceps animi cupido debilitando hosti expleri ullo modo poterat, sed inquies cum inquieto elemento huc atque illuc fluctuabat. Nonnullę minoris pretii naves interceptę vel incensæ. Juxta Bahiam vela intendens, ex Lusitanis captivis intellexit, quinque vel sex navigia crepidine vicini fluminis consedisse. Duabus celocibus imperatum, uti cum omnibus lintribus & scaphis manu militum instructis interiora fluminis penetrarent. In cujus ostio vacuum desertumque, neque infimæ magnitudinis, navigium, expilatis iis, quę sors offerebat, sui juris esse permiserunt. Namque omnium animos spes prædę transvorsos egerat, studiisque ita accensis pubes nautica, ne qua occasio elaberetur, sollicita summopere & anxia erat. Aliquantum fluvio provectis angusto sinu aliquot hostiles naves latitare visę, quæ omnem operam intendebant, uti conspectui nostrorum se subducerent. Propius accedentibus Nostris tanto impetu majoribus tormentis, & manuariis fistulis crudelis insæviit tempestas, uti opprimendi insultandique in naves hostiles nulla spes illos adducere posset. Reversi itaque ad suos, cum enarrassent quibus fuissent difficulta-

ficultatibus preſſi, Imperator tamen, uti erat promptę virtutis & audacię, ſupra modum glorię militaris appetens, magno animo iterum ſtatuit, ſeipſum cum promptiſſimis quibuſque objectare periculis, atque fortunam experiri. Luce itaque proxima iterum ingreſſi flumen, non eodem loco quo pridie, ſed penitius retrò ceſſiſſe hoſtem compertum eſt. Quo inveſtigato repertoque, intonuere iterum tormenta tanta ferocia, ut adoriri hoſtiles naves ſupra audaciam cunctorum eſſe videretur. In primis vicaria manuariis fiſtulis maxumo horrore exploſis ingentem Noſtris terrorem incuſſerat. Præerat illi homo facinoroſus, & pluribus criminibus coöpertus centurio, nomine Padilha, qui ſanguine nobiliſſimi & generoſiſſimi Domini Dortæ nefarias maculaverat manus, quem Bahię Gubernator cum centum & quinquaginta militibus præſidio navis impoſuerat. Verum Imperator noſter, ſuo adventu ultimo imperio, ne ſe reciperent, impedivit, cui, cum nullum fere conſilium vel inceptum fruſtra fuiſſet, facile obtemperabat nautica pubes, & incredibili inſultu navem violenta manu ſuperavit. Nuſquam magis patuit, audacibus nihil invium eſſe, & fortiſſimo cuique minimum adeſſe periculi. Quippe hoſtili ſanguine præter treis pueros omnibus occiſis fori natabant, & per ſentinam in flumen ſe exonerabant, tredecim tantum ex Noſtris deſideratis. Hoſtiles alię duę, inter quas & Prætoria, facile occupatę, dum miles ſe profundo committit, & natando eluctatur. Ulterius adhuc duę vel tres ſub obtectu arborum latitabant, quæ refluentibus aquis vadis hæſitabant, illoque beneficio ab omni inſultu facile defenſabantur. Conſultum viſum Imperatori noſtro in mare

captas naveis cum ſuis promovere; namque per quatuor admodum milliaria Hollandica obliquo & tortuoſo amne enitendum erat. Rupta per infortunium una captarum navium: præmiſſisque cymbis uti proſpicerent, quidnam interea hoſtis moliretur, compertum, hoſtem interea cum præſidio, ex urbe proxima, quę S. Salvatori ſacra, ad oſtiũ fluvii, qua exitus noſtris patebat, vicinum collem munimentis cinctum inſediſſe. Adhæc navis, quam antea Noſtri deſertam reliquerant, conſilio hoſtili ſubmerſa & vadis impacta viam eximebat. Verum ſubſidentibus aquis igne injecto flammam concepit, & certantibus duobus elementis, deſtinata aquis, ignibus periit. Et quanquam fiſtulis denſos globos ejacularentur hoſtes, qui collem inſederant, dracones tamen noſtri (tormentorum hoc genus eſt) ita multifariam ſuos ignes eructarunt, ut exiguum inde damnum paterentur. Adverſus impetus hoſtiles ex vicino colle aliud excogitatum præſidium. Boum tergis naves omnes, inprimis quę præcedebant cymbæ munitæ ictus crebros fiſtularum eliſerunt. Advorſo vento, anguſto & vadoſo flumine educi naves nequibant, verum à cymbis ex longinquo jactis anchoris attrahi illas neceſſe erat. Hoc uti multis difficultatibus obnoxium erat, ita Imperator noſter non tantum fortitudine, ſed & conſilio pollebat, quod longe difficillimum eſſe ſolet, cum audacia ad temeritatem, prudentia ad timiditatem propius accedat. Verum cymbæ velleribus cinctæ eliſo glandium impetu incredibili ſucceſſu anchoras jecerunt, fluvioque tres naves eductæ, ipſe Præfectus claſſis cum ſuis poſtridie ſub oculis hoſtium flumine vadoſo elapſus, certa reportavit victoriæ præmia.

CAP.

CAPUT LVII.

PRÆLIVM ACRE INTER TRES NOSTRATIVM NAVES, ET PRÆTORIAM VICARIAMQVE HONDVRENSEM,

ANNO CIↃ IↃ CXXVII. VIII JULII.

QUINQUE liburnicas ſub Præfectura Joachimi Gyſii Batavi Zelandique expediverant, ut diripiendis hoſtilibus navibus ad occidentem maria metirentur. Cum immenſo & inquieto mari huc atque illuc fluctuantes, multas circumvecti inſulas, modo juncti, modo diviſi, animum tamen hoſtem contundendi non diviſerant. Cum jam antea Hiſpanicam fregattam prope Maracaibo igne corrupiſſent, mare ubique infeſtantes, inter inſulam de Vaca, & Hiſpaniolam excepta una navi frequentes ſimul convenerant. Hinc iterum fluctibus divorſi poſt menſem exactum promontorium Corrientes tetigerunt. Poſtridie una Hollandica, & duæ Zelandicæ juxta promontorium S. Antonii modicis tantum velis movebantur. Ubi dies proceſſit, vela peregrina conſpectui ſe dederunt, ſed quod compoſitum & tacitum ventis mare ſterneretur, nulla infectandi copia fuit. Cum ſecundo dein die ſuppara velorum iterum paterent, lembo armatis viris referto adnitente remige facile navis ſuperata, quæ ex nova Hiſpaniola curſum huc intenderat. Poſtero die eminentem regionem Cubæ oculis uſurpabant, eoque diſtrictu uſque ad octavum diem Julii curſus huc atque illuc relictos

lictos iterabant. Appetente die conſpecta duo vela, quò omnibus expanſis linteis vento ſecundo Noſtri ferebantur. Propinquantes duo eſſe majora Hiſpanica navigia intellexerunt. Ardorem pugnandi prædę quoque cupido acerrime inſtigabat, quæ prima eſſe mortales cenſent, & præcipue militarem pubem trahunt, quorum animus nulla magis tuba quam ſpoliorum accenditur. Cum itaque omnes labores atque pericula conſueta haberent, ſibi ipſis incaleſcente ſanguine temperare nequibant, acerrimeque explosis omnibus tormentis in hoſtem tonabant, verum innectere ſe hoſtilibus navibus abſente Prætoria noſtra non conſultum judicabant. Signo dato & illa præſto fuit, atque tormentis omnibus hoſtem impetiit, quod & reliquæ ex ordine factitarunt. Iteratis dein ictibus, Prætoria nonnihil cedente, relliquis dubitantibus, ecquid rei eſſet, cymba centuriones ſe Imperatori ſiſtunt. Ibi, quia globos & jacula eminus in hoſtem torquere fruſtraneum videretur, impetu atque inſultu hoſtiles naves debellare commune conſilium fuit. Virtus nullam longiorem moram ferebat, ſed cominus prælium conſerere, Archithalaſſum adoriri, hoſtem ferire, fatigare, nihil metuere quam turpem famam illos edocebat. Dum ita ſeruntur colloquia, noſtris navibus vento ulterius actis, conſternatis, uti credebat, & fugientibus imminere ſumma ope adnitebatur hoſtilis Imperator. Neque enim credebat (inauditum antea facinus) liburnicas cum galeonibus periculum virium experturas. Supremo itaq; ex apice vexillo tormentique ictu, ſignum pugnandi dedit. Cæterum procul à noſtris tanta turpitudo atque ignominia abfuit, queîs mortis jam ante victoribus, nihil aliud quam

hoſtis

hoſtis quærebatur. Adverſum ventis mare, obliquando vela, ſuperare, Prætorię hoſtili ſe implicare, ſummum illorum votum fuit. Cæterum illam iniquo mari, tum quod expeditior princeps hoſtiũ navis in omnes partes ſe vorteret, adoriri Fortuna non permittebat. Vicariam itaque adorti ab utroque latere: verum ſuppetias Prætoria hoſtilis tulit, atque principi navium noſtrarum, cui Leænę nomen erat, ſe implicuit, quæ vicariæ latere eminentiori, quod velo & ventis non deprimitur, prælium jam concitaverat. Ita illa media inter duas hoſtiles utrinque atrociter impetebatur. Tum ſubito cöorta globorum tempeſtas cum magno fragore, denſusque fumi nimbus intermicantibus ignibus viſum impediebat. Duæ dein aliæ naveis vicariam ſummo impetu adoriuntur. Foros tranſilire Noſtri tentabant, cæterum hoc longe difficillimum erat, cum ex ſublimibus navium tabulatis hoſtes Noſtros feſſos, confectosque lanceis deprimerent. Cum neque ita belli alea procederet, ignitis jaculis (malo punico in militia nomen eſt) quæ manu atrociter ſpargebantur, terror hoſti incutiebatur. Nihil crudelius repertum, ex quo in terminis mortalitatis properandis ingenium hominum laboravit. Hoc jaculum quicquid obvium convellit, ita ut ipſum Acheronta perrumpere videatur. Terrâ ædes uno impetu disjicit, ipſa telluris viſcera atque intima penetralia pandit, ut cuncta miſceri videantur elementa: mari atrocius ſævit, ubi in naves conjectum, anguſtia loci tabulata hominesque miſere collidit. Qua procella miles hoſtilis laceris navis aſſeribus miſere ſauciabatur, adeò ut nullibi refugium foret, cum ubiq; furioſum illud jaculum vim ſuam horrendam exerceret, horribiles ejula-

tus, clamoresque morientium exaudirentur. Dehinc incendio navis corripiebatur, neque militem noſtrum ignis ſuus deſeruit tranſiliendi. Tum totius negotii fœda & miſerabilis facies fuit, paſſim pecudum more hoſtis obtruncari, cadavera in mare volvi, ſanguine denique aſperſæ aquæ fluitabant. Pauci Hiſpani furori militum exempti. Incendium navis ſumma cura extinctum. Interea prætoria hoſtilis calamitati ſe ſubducere nitebatur, quanquam & noſtræ naves, inprimis Leæna, quæ inter duas hoſtiles media jacuerat, ita exceptæ, perforatæque eſſent, uti feſſæ laceræque inſectandi animum ponerent. Contenti itaque hac victoria, ſimul cum ſuperata navi in ſinum (Canalem vocant) Bahamæ ſe receperunt, & circa oram Floridæ exoneratis mercibus opulentis, Hiſpanos, quorum vitæ pepercerant, incolumes Havanam dimiſerunt. Ita demum pluribus direptis navibus claſſis hæc Indica quinto Septembris die fœliciter in patriam appulit, luculentis ſpoliis turgida, quæ duodecim auri vaſa ſuperabant. Præfectus torque aurea in præmium virtutis donatus, nauticę juventuti tredecim menſium ſtipendium præter ſolitam mercedem ab Indicę ſocietatis Curatoribus perſolutum, ne virtus ſine præmio flacceſceret, quę per ſe dura & amara eſt, niſi largitione ſuſtentetur. Liberalitas & fortitudo ultro citroque ire debet, & hic eſt quæſtus Reip. maximus, de fructibus nonnihil impartiri, qui vitam pro commodis Reip. impartiuntur. Et hoc Proceribus noſtris ſemper curę fuit, uti in virtutis præmiis magnifici eſſent, neque ullis meritis manum clauderent. Ita Deo juvante, nihil quoque clauſum & invium fortitudini Batavorum fuit.

CAP.

CAPUT LVIII.

DE PRÆLIO NAVALI INTER CLASSEM HOLLANDICAM NOMINE SOCIETATIS INDICÆ OCCIDENTALIS, CUI PRÆFECTUS ERAT PETRUS ADRIANI ITA, ET PRÆTORIAM, VICARIAMQUE HONDURENSEM, ANNO CIↃ IↃ CXXVIII, MENSE AUGUSTO.

SOCIETAS Indica ſpoliorum cupidine ulterius flagrans, cujus potiſſimum causâ & bella geruntur, & maria ſulcantur, ipsâ hyeme menſe Februario fatigandæ Americæ, quæ nervos regios ſuſtentabat, claſſem inſtructam ſex majoribus navigiis, celocibus tribus, ſub Imperio Petri Adriani Ita mari commiſerat. Poſt multa maria emenſa, vagasque navigationes fluctuantes, menſe Auguſto Prætoriæ vicariæque navi claſſis Hondurenſis circa Havanam occurrerunt. Utraque viginti tormentis bellicis munita, hæc ducentis quinquaginta, altera ducentis viris ſtipata. Hoſtes perterriti fugiendo verſus litora Havanæ portum, quæ ad duo tantum miliaria verſus orientem aberat, attingere omni ope laborabant. Cæterum una navium noſtrarum concitatior velocitate ſua curſum hoſtilem intercepit, ita ut ferro iter aperiundi, confligendique illis gravis neceſſitas incumberet. Vicaria primum inſultum tulit animosè admodum, & cum noſtris harpagones, quîs ſe innecterent, deeſſent, elapſa vadis hæſit. Non ſemper virtus Fortuna penſatur, & incerta caſuum, ſi uſpiam, indomito maris ele-

mento dominantur. Quippe navis noſtra prædę avida, dum non contractè ſatis ſe vortit, ex imperitia locorum, cæco vado itidem adhæſit. Quo in loco immobilis, continuis tormentorum verberibus à matutino tempore uſque ad horam ſecundam poſt medium diem, ita impetita eſt, ut major malus medius diſſiliret. Neque illa impatiens ſui in hoſtem ſua vibrare fulmina quibat. Prætoria hoſtilis verſus litus itidem adacta, & cæcis ſyrtibus fixa. Noſtra inter duas hoſtiles media ita denſatis ictibus globorum perfoſſa fuit, ut ſui impotens animum ſponderet, undique circumventa de deditione cogitaret. Ita lacera navi, quæ vel ignibus vel Oceano ludibrium debebat, integra quidem fortitudo emicuit, ſed contra extrema Fortunæ, cum nihil amplius poſſis, eniti ne quidem ipſa virtus poteſt. Dum ita non tam cum hoſtibus quam iniquitate loci luctabantur, Princeps claſſis noſtræ diu ventis fluctibusque adverſis jactatus, cum infenſum mare ſuppetias noſtris prohiberet, paulum ſeptentrionem vorſus inclinans, à meridie, ſtatis illic ex eadem plaga ſpirantibus ventis, turgidis velis in hoſtem fertur. Duabus aliis navibus, Vicariæ, & Fortunę, quas penes ſe habebat, quid faciendum injungit. Ipſe conſilio & virtute validus advorſa Fortunę ſuperavit, quæ brevi momento huc atque illuc ſe flectit. Quanquam diu dubia quò ſe inclinaret, cum & noſtra & hoſtilis virtus utrinque illam prenſaret. Quippe ita acriter vicaria Noſtris reſtitit, ut majora quoque tormentorum verbera, quîs horrendum in modum à fronte lacerabatur, contemneret. Sicut denſa grando tectis illiſa diſſilit, ita ſupra cladem eſt robuſtus fortitudine animus. Noſtri immiſſis ignitis foculis, terrorem

rem incutere, atque ita in tabulata eniti tentaverant, verum æquè animoſe pulſi fugatique. Naveis deinceps duæ, quîs Delphinis & Fortunę nomina erant, cum in Prætoriam hoſtilem ſimul globos miſiſſent, præſidio Noſtris fuere. Fluctivaga Delphin propius accedens à tergo vicariam hoſtilem premebat, Fortuna certo omine victoriam ſpondens promptiſſimum quemque & maxime ſtrenuum militem in Prætoriam traduxerat. Tum demum conferta pubes incredibili inſultu in vicariam ſe præcipitem dedit, atque invictus animus non tam in audaciam, quam in furorem prorupit. Flagrabant & micabant oculi, exæſtuabat in facie ſanguis, concutiebatur crebro ſpiritu pectus, citatus gradus, manus inquietæ, corpus denique in exitium hoſtium inſtar maris fluctuante greſſu attollebatur. Pro ingenio quisque glande vel ferro pugnare; atque acriter reſiſtente hoſte modò eniti in advorſa navis, modò concidere, modò lapſantem iterum greſſum firmare, donec pertinacia & horribilis inſultus hoſtilem navem ſuperaret. Tum promiſcue ſanguine hoſtili imbuti enſes, omnia, quà viſus ſe extendebat, conſtrata telis, armis, cadaveribus, inter ea tabulata infecta cruore fluitabant. Ex trecentis viris, dimidia pars ferro fatum invenit, relliqui, qui natando per aquas ferebantur, vel iiſdem merſi, vel pauci admodum evaſere. Commemorant nonnulli inter præliandum, cum jam vicaria navis ſuperata eſſet, hoſtisque confectus, igne illam conflagraſſe, quam cum pubes militaris & nautica obflammarum violentiam deſereret, Præfectum ſtricto gladio rutilantibus ferocem oculis fugienteis prohibuiſſe, atque hæc verba addidiſſe, ut aut ignes extinguerent, aut iiſdem perirent, me-

tuentem nimirum, ne ingentes opes, ſimul cum devicta navi concremarentur. Quod quidem ab aliis ſilentio tranſmiſſum pro comperto dicere nequeo: hoc conſtat mercibus, quîs ſtipata erat, exoneratis, cum ad quinque pedes navis aqua premeretur, atque humentia terga boum fœdum & intolerabilem odorem ſpargerent, poſtmodum ignibus ſubjectam fuiſſe. Interea, uti ad inſtitutum revortar, treis aliæ Noſtrorum naves, fixis anchoris, Prætoriam hoſtilem adoriuntur, & continuis tormentorum ictibus fatigant, cæterum hoſti perculſo tam fœdo & horribili ſuorum ſpectaculo, animus timore obſtupuit, conſilia præpedita turbabantur. Ubi enim metus dominatur, etiam fortiſſimis viris ſubito omnis mens cadit, neque quicquam penſi habetur. Fuga itaque iis potior fuit, & infido mari vitam ſuam crediderunt. Ex promptiſſimis tamen quinquaginta extrema expectarunt, qui tamen mox eadem ſorte effugium morti quæſivere. Ita poſt acerrimum conflictum ſuperatæ prima & vicaria claſſis Hondurenſis naves; ſingulę ducentis & ultra inſeſſæ fuerant militibus, qui militiæ veteres ad nutum monentis intenti, arma armis conſerere, obſiſtere, circumire, diſcurrere, mutare pugnandi vices, virtutem virtute tegere cum peritiſſimis noverant. Ex quibus ultra ducentos obtruncati, præter illos qui miſerabili fato mari ſibi mortem properaverant. Noſtrę tantum duodecim vel tredecim cæſos numerabant, quîs recens occiſis vultus adhuc ferociam animi & vindictę ſtudium oſtentabat. Majoris ſæpe virtutis eſt victoriâ prudenter uti, quam hoſtem viciſſe. Plures ſæpe quæ ferri virtute quæſiverunt, per faſtidium & contemptum hoſtium perdiderunt. Hanc itaque

For-

Fortunę indulgentiam, qua etiam optimi Imperatores insoleſcunt, periculo committere, modicisque intentus immodica affectare noluit prudentiſſimus Imperator. Opulenta alioquin claſſis, qua ex Terra Firma immenſę divitię vectabantur, propinqua cenſebatur: cæterum incerta pro certis captare noluit Archithalaſſus, cui fatales rerum viciſſitudines, & incerta maritimæ militię in promptu erant: inprimis quia pleræque naves ſicco arenarum fixæ, atque excita illarum moles ægre moveri poterat. Vicaria itaque, quæ tam alte ſyrtibus ſederat, uti nullis laboribus iterum fluctuare poſſet, exemptis mercibus, aquis exitium minitantibus, contrario ignis elemento periit. Prætoria quoque hoſtilis, atque Leæna, quę vehementer pertuſa erat, à vicinis navibus trahebantur. Ventis itidem ſilentibus maris æſtus ad oſtium Havanæ claſſem noſtram abripuerat. Et niſi laceræ naves ſummo niſu Oceanum verſus à cymbis impulſę fuiſſent, ab hoſtilibus munimentis, quæ nondum tormentis pertingere claſſem noſtram quibant, periculum ingens incubuiſſet. Maxima igitur difficultate eluctati, expanſis ſecundo euro velis per fretum Bahamæ propter oram Floridæ vias maris tentarunt, Prætoriaque hoſtilis, quæ rimis fatiſcens ſeipſam ſupra aquam tueri non poterat, ſublatis paulatim mercibus ignium violentia combuſta. Ita junctis velis Imperator maria feliciter emenſus circa finem Septembris, atque ineunte Octobre in Patriam revorſus, ſummo omnium ſtudio exceptus fuit.

CAP.

CAPUT LIX.

DE CLASSE ARGENTIFERA A PETRO HEINIO DIREPTA.

Anno clo Io c xxviii.

Anno hujus sæculi vigesimo octavo sub Imperatoris Heinii auspiciis ad Septembris nonũ diem sole oriente classis argentifera ex nova Hispania in conspectum primo venit. Nonnullæ naves ex Nostris, vento diutius divulsæ, suas iterum vires commodum junxerant, ut tanquam numinis decreto victoria sponderetur. Quanquam Havanæ litora premerent Nostri, æstuante & rapido fluxu versus Matanzam delatis opportunus hostium occursus fuit, quo & ipsos rapidius mare impulerat. Ita benignitas fluctuum spolia sui Oceani nobis obtulit. Laurentius quidem de Cabrera Havanæ gubernator omnem curam intenderat, celocemque miserat monitum suos, classem Hollandicam viginti circiter & trium navium in propinquo esse, verum illa sex admodum diebus per fluctus varie agitata, intercepta spem atque fidem Nostris intendit. Ad octavum Septembris nuntiato navem hostilem, quæ ex novâ Hispania adventabat, ab una nostrarum occupatam, totamque classem non procul abesse, supremus præfectus opulentissimam classem jam animo invaserat, viceratque. Et socii navales spe accensi prima luce in corbem supremum eniti, & tanquam ex speculâ quaquaversum prospectu suo Oceanum metiri. Primo decem naves eminus oblatæ, quò cum cursum flexisset Im-

set Imperator, haud difficulter ferme omnes (una enim forte evaserat) debellavit. Quippe nihil hostile cogitantes sub obscurum noctis igneis nostræ classis secuti, prius senserunt Fortunas suas in extremo sitas, quàm se expedire ullo modo possent. Lintribus & scaphis armato milite munitis, quod majora navigia sudo maris impedirentur, primo insultu facile oppressi. Verum illis navigiis non congesta argenti pondera laminæque, neque pretiosæ admodum merces vectabantur. Ubi medium diei processerat, novem aliæ sublimes naves tanquã fluitantes turres in mari spectabantur, quas galeones esse argento stipatas dubitatum non fuit. Quîs necessitas tam diu cunctandi in novæ Hispaniæ portu incubuerat, quod unius ruptæ carinæ eximenda fuissent onera. Ita fortuna, quæ in rebus humanis dominatur, vel fatum patriæ nostræ immensam gazam obtulit, quæ si hostilis classis celerius mari se committere potuisset, manibus elapsa fuisset nostris. Citato cursu velis omnibus expansis insectatus Imperator summa ope enitebatur, ut classem hostilem, sinu Matanzæ prohiberet. Verum illa, velis turgentibus hosteis fugiendo, cæcis vadis in ipso portu allisit, uti crebro una calamitas alterius prænuncia esse solet. Subito tumultu, dum animus timore obstupescit, atque opum custodiendarum cupido incessit, cymbis ultrò citroque pretiosissima quæque auferre in vicinam tellurem nitebantur. Obscurum noctis timorem auxerat, circumspectare omnia & omni strepitu inhorrescere, multum properando parum promovere. Nostri spe immensæ prædæ accensi, cui nunquam satis festinatur, postridie nacti hostilem classem syrtibus hæsitantem, non tam vocibus Impe-

ratoris, quàm proprio ardore abripiebantur. Imperator ferro toto corpore munitus, militaris & horridæ abruptæque facundiæ, non tam ſpecioſis verbis quàm ignibus oculorum, ignes ſociorum inflammabat. Ipſe imperterritus, promptæq; audaciæ, in proximum lembum ſe permittit, ex quo complures ſclopetis inſtructi ex mandato inſultum in hoſtes parabant. Nunquam ſocordia atque ignavia hoſtium minus pugnatum, majorque victoria obtigit. Poſtquam in vicariam armatis validam fiſtulæ militares aliquotiens diſploſæ, & ſi ſe dederet vitæ incolumitas ſponderetur, victa, antequam ſe ad certamen fere componeret. Memorabilis hic claſſiarii audacia ſilentio obliteranda non videtur. Cum enim ex humili cymba in faſtigium Hiſpanicæ navis eniti nequiret, fune forſan pendulo ſe ipſum ſpectantium hoſtium ingenti opprobrio in ſuperiora attraxit, quæſitisque ſubito reſtibus, projectisque, ad eandem audaciam reliquos navales confirmavit. Eadem ſorte vitæ conditione Prætoriæ aliiſque oblata, ubi claſſis Hiſpanicæ Præfectus Franciſcus de Beunavida illam accepit, vinci quoque cæteras non puduit. Ita immani pręda, nullo noſtrorum, vixque ullo hoſtium ſanguine, potiti ſumus, commiſſis ad Matancę ſinum non conſilio, ſed æſtus marini impetu claſſibus. Ipſe quoq; Imperator non fortitudini ſuæ, vel præſidiis humanis, ſed ſoli divini numinis benignitati tam ingentem victoriam tribuit. Prædam trecentorum auri vaſorum capacẽ fuiſſe à nonnullis annotatum invenio. Compertum quoque ita argenti facti atque infecti pretioſisque mercibus ſtipatas naveis fuiſſe, ut pleraque tormenta flecti agitarique nequiverint. Interea ne militaris & nautica pubes rapaces laxaret manus,

manus, in tempore proviſum. Neque ſevere inquiſitum in eos, quos argenti lucrique cupido in tranſvorſum abripuerat. Qui neſcit tempori velificari, nimiumque rigorem licentia temperare, inutilis eſt Imperator. Ignoſcendum ſæpe vel connivendum iis, quæ corrigere eſt nefas, modo non velut excuſſo cupiditatis freno in nervum erumpat publica licentia. Exonerandis hinc mercibus quinque dies conſumpti, una mercatoriarum velleribus onuſta fundo merſa. Quatuor galeones cum una mercatoria Bataviam vorſus deſtinatæ, cæteræ ignibus conſumptæ vel depreſſæ. Inter galeones uni, ne rimis fatiſcens in itinere aquis periret, mercibus tranſportatis, ignis injectus fuit. Cæteræ naves, etſi nonnunquam ventis disjectæ, menſe Decembri & Januario ſequentis anni incolumes appulerunt, una tantum Hiſpanicarum galeonum per diverſum (ut loquuntur) canalem adacta verſus Hiberniæ litora periit. Plures quidē ferociente hyberna tempeſtate in portu Britannorum, quem Falmudam vocant, ſubſiſtere coactæ, verum ipſe poſtmodum Imperator ſtipatus undecim navibus Goedereā, aliæ ad alios portus ſtationesque delatæ. Quo adventu omnium ordinum homines lætis fauſtisque vocibus indulgere, præcipue lucri participes, ne ſibi quidem ipſis temperare, occurſare Imperatori, dextras porrigere, incondita plebes premere illius latus, lætitiæ tumultu implere vias, fortitudinem Imperatoris extollere, ipſum eſſe maris ſcopulum, novi orbis domitorem, ignavia & ſocordia aliorum nihil ibi bene geſtum. Hoc eſſe demum incidere venas Regis Hiſpaniarum, ſi argenti commercia ex Peru & terrâ firma intercipiantur. Remotiora terrarum terribili noſtrarum claſſium ſuper-

ventu facile labefactari. Hiſce nervis Belgis, aliisque nationibus, Hiſpanum terribilem eſſe, qui ſi deficiant, etiam exangue corpus fore. Quæ quidem uti verè ex parte dicebantur, ita virtutem Imperatoris in immenſum extollere, cum nullo fere ſanguine parta eſſet victoria, inſolens & immodicum fuit. Ipſe Imperator non ambitioſus ſui oſtentator, non virtuti ſuæ, ſed cœli indulgentiæ tribuit. Et ipſe multo auguſtiora nullo fere populi applauſu patraverat, luculento exemplo divitias privatas maximum momentum atque autoritatem victoriæ addere. Quam immenſæ autem hujus claſſis opes fuerint, inde liquet, quod dimidium ſortis ſocietatis conſortibus diſtributum, ſeptendecim menſium ſtipendia claſſiariis perſoluta fuerint.

CAPUT LX.

PETRI HEINII ARCHITHALASSI HOLLANDIÆ CUM TRIBUS DUNKERKANIS ACERRIMUS CONFLICTUS, EIUSQVE INFAUSTA MORS,

ANNO CIↃ IↃ CXXIX. 17 JUNII.

HACTENUS Batavi maris domini, ubique, etiam qua ſol oritur, caditque, late terrorem hoſti incuſſerant, famam autem cum utroque orbe terminaverant. Virtus humanum faſtigium exceſſerat, & perdomito fine terrarum rerum humanarum terminos ſuperaverat. Cæterum ſumma turpitudine mare, quod propriis noſtris viſceribus imminet, hoſtis infeſtabat, an ſocordia, an rerum quadam vicissi-

viciſſitudine haud facile dixerim. Victores foris, domi victis ſimiles: divitiæ mercatorum, quo nervo Reſpublica fulcitur, rapinis continuis atterebantur, hinc juſtæ querimoniæ in nervum erumpebant. Mortuo Gulielmo Naſſovio Archithalaſſo, qui multis virtutibus decorus obſeſsâ Grolla infelici glande transfoſſus mortalitatis leges impleverat, Triumviri maritumi Wemmerus Berchemius, Hillebrandus Quaſtius, & Guilielmus Melcmannus partito tribus claſſibus imperium maris obtinebant, qui ducendis onerariis navibus egregiam operam intenderunt. Cæterum poſtmodum Patriæ Patres viro fortitudinis invictæ, Petro Heinio, quem tanquam maris ſcopulum, terrorem Indiæ, Hiſpaniæ procellam etiam hoſtes admirabantur, partes tutandi maris cum ſummo imperio obtulerunt. Ille autem eveſtigio terrore nominis vicinum mare implevit, & ne hoſtem valentiorem negligentia faceret, navibus ſuis oſtia Dunkerkæ, quæ opportuna rapinis magnum mari excitaverat incendium, obturavit. Verum fiſæ noctis tenebris, juxta ſyrtes arenaceas, quîs Dunkerka obtenditur, Prætoria & vicaria hoſtilis cum altera elapſæ, certas noſtri Imperatoris manus non effugerunt. Ille imperterritus diri fulminis inſtar, quod duriſſima quæque frangit vel penetrat, non tantum adverſus hoſtium vires, verum etiam adverſus ipſas calamitates, atque adeo ipſam mortem infractus contendit. Ipſe inter utramque navem medium ſe ſtitit, ne non niſi vincendo elaberetur. Dum inter horrendos tormentorum ictus dextra gladium vibrans ſocios militari facundia accendit, ipſe Imperatoris & militis munere fungens, machina majori humero tenus convulſus, ſubito occubuit,

cubuit, atque immortalem ſpiritum cœlo dedit, nomenque æternum per totum terrarum orbem diffudit. Occiſo tanto heröe, Martinus Trompius, amplius memorandus, qui centurionis titulo in Prætoria navi virtutem exerebat, diu celatâ ejuſdem morte ita inſtigavit claſſiarios, ut extra ſe rapti, non tantum pro vita, verum etiam pro gloria, quam ipſi vitæ præponebant, extremis ſe exponerent periculis. Perrupit tandem, liceat ita loqui, Acheronta Herculeus labor, nihil enim audentibus invium eſt. Et fortitudo hoſtium, quamquam partes ſuas impigre impleverit, tandem tamen ubi, omnem impetum effudit, elanguit. Ita Prætoria cum Noctiluca invaſæ miſerum humanæ ſortis ſpectaculum præbuere. Furore militari cæſi fere omnes inferias veluti occiſo Imperatori noſtro obtulêre. Tam breves & mutabiles rerum vices ſunt, ut qui modo maris domini, nunc jactati varietate fortunæ ſubito cum vita eodem imperio turbarentur. Perterritus tam cruento Martis ſpeculo Michaël Romboutus, qui vicaria poteſtate claſſi hoſtili imperabat, in fuga omne præſidium poſuit, neque experiri pugnandi aleam ſuſtinuit. Inſectabatur illum Iacobus Vinckius, & obſcuro noctis incerta tormentorum verbera infligebantur. Cæterum ubi prima lux appetebat, tum primum geminari machinarum tonitrua, certisque ictibus ita quaſſata hoſtilis navis, ut disjecto malo, antennisque gementibus, injectisque pedicis, poſt ſeſqui horæ acerrimum prælium virium impotens, & exhauſta ſub ſponſione vitæ ſe ſuaque omnia arbitrio victoris dederit, quanquam uſque ad extremum virtus illorum nihil inexpertum omiſerit, & mitiores vices verſabilis fortunæ expectaret. Victoria quidem

dem hæc glorioſa, ſed eo minor, quod in morte tanti herois ingens detrimentum Reſpublica ceperit. Quippe vir virtute ſua nobilis, etſi majoribus obſcuris genitus, tumido mari inter ſcopulos ac cautes enutritus, artes nauticas omnes à parvo edoctus, ab infimis nautarum viliſſimisque miniſteriis ad ſupremam maritimam dignitatem fuerat provectus. Neque unquam illi aut ab infenſo mari, aut ab hoſte quïes. Animus illi ingens, Martius oculorum vigor, ſermo rarus, illuſtribus facinoribus intentus. Nauticæ pubi carus acceptuſque, etſi diſciplinæ ſtrictæ ac contentæ. Caſuum incerta providentiâ ac cura moderabatur, ita tamen ut à temeritate vel timore intactum nomen tueretur. Idem occaſionum momenta captare ſolers & induſtrius. In periculis nemo animoſior, eadem neque provocare, neque oblata detrectare ſolitus. Poſtremum quatuor ſummi imperatoris virtutes in illo elucebant, militiæ maritimæ ſcientia, virtus, autoritas, & felicitas. Defunctus eſt ſummo omnium mœrore, cum maritimæ dominationis reſtaurandæ unica ſpes in illo ſita eſſet, cum magnis facinoribus patrandis intentum, ipſo admodum initio fati iniquitas rapuit, an invidit. Lugebant hunc caſum Patres, qui maritimam ſecuritatem nervos & opes Reip. eſſe noverant, atque imperium iis artibus fulciri debere, quibus initio partum fuerat. Publicis impenſis ſepultura, æternumque illi monumentum decreta fuerunt. Sepultus magnifice Delphis Batavorum, funuſque centurionum humeris elatum. Exequiis maritimi Imperatoris ſpectandis circumfuſi civium veluti fluctus attollebantur. Omnium clamor & gemitus, præcipue nauticæ pubis. Una omnium vox erat, cecidiſſe Oceani invictam rupem,

rupem, hoſtium terrorem ac formidinem, cujus trophæa cum occidente ſole terminum invenirent. Hæc Noſtri, contra hoſtis lætitia fremere, & ſicut patientia gaudiorum difficilis eſt, vix ſe ipſos capere, hactenus Dunkercæ faucibus clauſis nunc iterum apertum mare jactare: In morte unius perſonæ veluti triumphum proſtrati devictique Oceani ſibi polliceri. Ita varie ab amicis luctus, ab hoſtibus gaudium agitabatur: ſicut ita compoſitæ ſunt res mortalium, ut unius calamitas alteri ſæpe in gaudium cedat.

CAPUT LXI.

NOBILIS EXPEDITIO SUB IMPERIO HENRICI LONCQUII, ITEM PERICULOSA VELITATIO INTER EUNDEM ET IMMENSAM CLASSEM FREDERICI DE TOLEDO. OLINDA PRÆFECTURÆ PERNAMBUCI OPPIDUM TERRA MARIQUE OCCUPATUR.

ANNO clɔ Iɔ c XXIX.

CUM ex argentifera & Hondurenſi claſſe opes ſocietati Indicæ cumulatæ eſſent, & Fortuna ubique ad Occidentem indulgeret, extremum ſolem potentiſſima claſſe fatigare Directoribus viſum fuit. In ipſo limine victoriæ ulterius tendere, neque occaſiones intermittere, atque hoſti in ipſis faucibus ſpiramentum intercludere, ſumma votorum erat. Quænam novi orbis pars petenda, qui per immenſa ſpatia ſe diffundit, dubiis conſiliis agitabatur. Deſtinata demũ expeditioni fuit in Braſilia nobilis Præfectura Pernambuci, quæ propter fertilitatem inprimis cannarum,

quîs

quîs ſaccharum coagulatur, paradiſus Braſiliæ cenſetur. Quam ulterius poſtmodum deſcribemus, cæterum nunc in inſtituto pergimus. Expeditæ itaq; claſſi, quæ quinquaginta & tribus navigiis, & triginta lembis, novem & ultra millibus militaris & nauticæ juventutis conſtabat, cum ſummo imperio Præfecti Generalis titulo præficitur Henricus Loncquius, virtutis & expeditionis Petri Heinii nuper ſocius, cum claſſis hoſtilis ex Hiſpania, quam novam dicunt, quæ fortunam opeſque Regias continebat, Cubâ Inſula haud procul, ad Matancæ ſinum, in Batavorum poteſtatem conceſſit. Cum ipſe ſibi exemplum fuiſſet virtutis, exemplum tamen Petri Heinii ſupra omnem virtutem erat. Ipſius animum & vultum ſemper præ ſe ferebat, illum ſemper ſibi oſtentabat. Militiæ præerat Didericus Wardenburgius, qui ad omnia præclara magno curſu ac totis viribus tendebat. Cæterum dum ſumma omnium conſternatione hoſtili tumultu in patria cuncta flagrarent; cæde, incendiis, cruore atque luctu, poſtremum vaſtitate atq; fuga Velaviam vicinaque loca late hoſtis impleret, inter ancipitia fluctuantis patriæ diutius retentus miles, quem per ſedecim hebdomadas impatiens moræ Loncquius ad inſulam S. Vincentii, ubi conventui locus deſtinatus erat, expectaverat. Antequam autem Promontorium viride tetigiſſet Imperator, inter magnam Canariam & Tenariffam inſulam, Regiæ claſſi, quæ ſub ſummo Imperio Frederici Toletani non tam navigiis quam caſtellis & propugnaculis maris conſtabat, occurſans, periculo certo ſe ſubducere omni ope nitebatur. Quippe partitis navibus, octo tantum penes illum erant navigia, quîs belli aleam experiri non tantum te-

meritas, verum & dementia videbatur. Neque enim minus laudis eſt, ubi neceſſitas incumbit, prudenter ſe recipere, quam fortiter pugnare. Omni itaque ſtudio contendit ventum ſuperiorem captare, atque extrema Canariæ ſuperare, cæterum circa flexum inſulæ, ventis cum velo luctantibus, flectere naveis & in altum proficiſci cogebatur; atque ex parte mediis ſe immiſcere hoſtilibus navibus. Medio diei ſeptentrionem vorſus navigatum fuit, & quanquam hoſtis in idem incumberet, & perdendarum navium lubidine ſummopere agitaretur, turpi tamen metu perculſus ipſas aquas laxabat. Treis tantum naves captato ſuperiori vento, quibus non labos inſolitus, non armatus hoſtis formidoloſus erat, inter quas & Archithalaſſi, qui poſt Generalé prima autoritate pollebat, in quatuor noſtras hoſtilia cuncta moliebantur. Machinæ majores, fiſtulæque militares undique pilas ſuas ejaculabantur tanto horrore, uti furiis illis cœlum intonare videretur, incendioque veluti mare arderet, & denſiſſima fumi nubes aërem obduceret. Una navium ad proram implicare ſe prætoriæ noſtræ tentaverat, ſed cum in eo fruſtra fuiſſet, vorſus inferiora fluctuans, ita ex ſiniſtra parte explosis omnibus machinis à Prætoria noſtra excepta fuit, ut clamor cum morte luctantium, vulneratorumque, late ſe diffunderet. Dum Noſtri ulterius verſus ſeptentrionem tendunt, ſummus claſſis Regiæ imperator admodum propinquabat, & quia inferius vias maris tentabat, obliquato curſu, rectà impetum in noſtros facere in animum induxerat ſuum, cæterum deceptus regione viarum prætergreſſus adoriri noſtra navigia, quæ ſe in unum cöarctabant, nequibat. Poſtridie, ubi primum lumen

aurora

aurora ſpargeret, undecim tantum regiæ naves ſe oſtentabant, treis à latere ventum ſuperiorem nactæ, reliquæ ſeptem, inter quas & ipſa prætoria ſuprema Generalis locum tenebat, veſtigia noſtra inſectabatur. Cæterum cum hoſtis globum junctarum navium Noſtros pro munimento habere cerneret, ne diviſæ circumvenirentur, Imperatorem noſtrum magna prudentia cuncta ad pugnam compoſuiſſe, difficillimumque eſſe eos inſultare, qui vitæ prodigi labores omnes, pericula, dubias atque aſperas res, denique ipſam mortem facile toleraturi videbantur, adoriendi conſilium omiſit. Ita immenſa illa regia claſſis, horror Oceani, ſylvæ aquis innatantis ingens ſpectaculum, ludibrio Noſtris ſe expoſuit, & quæ invicta videbatur, ne quidem auſa victoriam periclitari. Porrò nunc cætera breviter expediam, quæ claſſis noſtra junctis navibus & militaribus copiis Wardenburgii patraverit, inprimis quia terreſtris hæc magis quam maritima fuit expeditio, etſi infracta robore ſociorum navalium pectora lacertos quoq; ſuos moverint, quos & horror efferati maris ad quoſcunque caſus aſperârat, ita ut neque terrâ neq; mari ſuperiorem admitterent. Regio, quam petebant, erat Braſilia, cujus Pernambucum nobilis eſt præfectura, commerciis ſacchari admodum opulenta, quæ ad ſexaginta miliaria extenditur, namque verſus auſtrum uſque ad flumen S. Franciſci excurrit, quo à præfectura Bahiæ ſeparatur, verſus ſeptentrionem Itamaracam Provinciam attingit. Vere perpetuo luxuriant agri, montes valleſque arundinibus ſaccharifèris conſitæ, ſylvæ Braſiliano ligno horridæ. Quotannis nonaginta naves mercibus ſtipatas in Luſitaniam appuliſſe memoriæ traditum

est. Plures molas trusatiles, quas Ingenios appellant, mancipia, quæ ex Angola ingenti numero huc traducuntur, immodicis laboribus versant. Caput regionis Olinda civitas, quæ sparsim editis collibus sita in vicinum mare prospectat. Non procul Reciffa pagus flumine Biberibi & Oceano cingitur, vecturis navium destinatus locus. Ubi ad tertium Februarii diem anno sequenti Brasiliæ ora primum se aperuit, divisis copiis terra mariqne hostem invadere consilium fuit. Cæterum aquis non prospere cessit expeditio, namque ostia rupis, qua Brasilia obtenditur, mersis navibus præcluſa introitum impediebant. Barletta, ubi mare quoque rupem interluit, extensis catenis obturata, omnem intrandi spem ademerat. Tormentorum quoque ictus, quod mare modò attolleret, modo deprimeret navigia, incerti & vagi in extrema munimenta mittebantur, contra ab hoste pilis grandioribus Nostri ita impetebantur, ut nonnihil retrocedendi incumberet necessitas. Cæterum quam victoriam mare invidit, terra suppeditavit. Namque Diericus Wardenburgius, militiæ Præfectus impiger & militiæ vetus, cum militem ad septentrionem Olindæ terræ exposuisset, latè omnia terrore implevit. Ipse primus, quò cæteros virtutis exemplo traheret, atque adeò quo adversum hosteis expeditior alacriorque esset, saltu vicinam tellurem pressit, simulque genium loci amplexus, aut hic, inquit, moriar, aut victor evadam. Vos autem, milites, me non tam Imperatore quam milite utimini. Spes jam magna dominationis in manibus nostris sita. Cæterum non opus est, ut animum vestrum accendam, qui jam generoso æstu flagratis. Ite alacres & spe pleni, dum hostium impetus cunctatione

tione langueſcit, dum metus & fuga illos affligit. Neque vero Deus ſirit, ut quod ſponte nobis offert Fortuna, metu aut ignavia cujuſquam elabatur. Tutiſſimus quisque eſt qui mortem contempſit, timidiſſimum quemque invadit. Olindam civitatem videtis? (diſtabat illa à litore ad duo circiter miliaria) hic hodie trophæa noſtra figemus, aut honeſta morte defungemur. Cæterum quid odioſum mortis nomen propono? Proh Deûm atque hominum fidem! victoria in proclivi eſt, audete modo vincere, cætera res ipſa expediet. Concitata hinc pubes militaris tripartitis copiis ad urbem tendit. Ubique fuga & ſolitudo hoſtis, niſi quod primum impetum ad modicum amnem, quem dulcem (Rio dulce) Luſitani appellant, aggeſta ex ceſpite lorica, contra noſtros effuderit. Octingenti milites munimentum illud trans amnem inſederant, qui ibi Noſtros machinarum ignibus ſiſtere tentabant, cæterum avida ſpes victoriæ ibi conatus ſuos ſiſti indignabatur, & præcipitem animum ad extrema impulit. Neque igneis neque aquæ ſiſtere audaciam quibant, cum enim machinæ campeſtres in hoſtem intonuiſſent, per amnem vadoſum tranſcurrentes, tanto inſultu in hoſtes irruperunt, ut ſua deſerentes vicinis ſe receperint nemoribus. Hinc Noſtri campo victores tribus partibus animoſe admodum ipſam urbem invadunt. Et quanquam acriter reſiſterent hoſtes, ſicuti fieri ſolet, quando pro aris & focis opibusque privatis, quæ prima mortales putant, pugnatur, poſtremum tamen vicit Batavorum virtus, contra illis, quod plerunque in atroci negotio ſolet, inſolito metu omnia trepidabant, neq; conſilii, neq; virium copia, cum illæ alterius ope deſtitutæ mole ſua fatiſcant.

Itaque paſſim feſtinare, conſultando nihil definire, modò infra fortunam ſe deprimere, modo vano niſu iterum ſe erigere, ingenti metu ſua pericula metiri, omnia pavere, denique ſibi ſuisque diffidere, mulieres quoque afflictare ſe, atque ad Deum immortalem ſupplices manus tendere. Ita capta feliciter urbe cum vicinis munimentis, Reciffam vorſus expeditio ſe contulit. Matthias Albukerkius Olindæ gubernator natura ferox & vehemens, cum retinendæ Reciffæ diffideret, viginti naves igni ſubjecit, mercium horrea, quîs ſacchari & ligni Braſiliani ingens vis ſtipata erat, flammarum quoque injuriis reliquit. Ad vicies centena millia ducatorum hoc damnum æſtimatum fuit. Primo munimentum S. Georgii duce Steincalefeltio ſub obſcurum noctis milites ſexcenti irruperant, verum irrito molimine. Quanquam autem omne diſcrimen ſpes uberioris gloriæ vinceret, cum tamen ſcalæ nimis humiles celſiori muro non reſponderent, nulla eo virtus potuit eniti, inprimis quia pars miſſilibus ex alto turbabantur, pars machinis majoribus impetebantur. Terrorem augebat nox obſcura, tanto facinori deſtinata. Hinc novi animorum motus indignatione concitum militem agitabant. Poſt properatos eveſtigio acceſſus, ex ſuggeſtu tormentorum continuo globi majores munimentum ita preſsêre, ut tandem juſſa facere hoſtes cogerentur. Miles ſine ullo vexillo, fiſtulis manuariis atque ellychniis, gladiis tantum à latere cinctus, egreſſus, ſacramentoque adactus, ne intra ſex menſes apud hoſtem ſtipendia mereretur. Qua conditione etiam iis, qui munimentum aliud extrema rupe vorſus mare ſitum defenſabant, etſi tridui primo moram ſtipulati eſſent, donec ab Albu-

Albuquerquio certiores facti essent, tandem tamen, cum frustra obluctarentur, se arbitrio victoris dederunt. Insula Antonii Faazii milite vacua sponte cessit, neque impetum expectavit. Spei inopes extrema experiri, & Fortunam lacessere, lateque victori resistere, inconsultum videbatur. Ita ingens victoria, paucis nostrorum amissis, incredibili hostium damno procurata, nervos hostileis succidit. Hinc à parte hostium geminatus luctus & mæror, à nostrâ lætitia & gaudium varie agitabantur.

CAPUT LXII.

PRÆLIVM INTER TRES DVNKERKANOS, ET VNAM CELOCEM, CVI NAVARCHVS ET PRÆFECTVS ERAT IOANNES CORNELII LICHTHARTIVS, Anno cIↃ IↃ cxxx, Mense Novembri.

INNOTUIT quoque incredibilis Lichthartii virtus, qui cum anno cIↃ IↃ cxxx ineunte Octobre Pernambuco celocem solvisset, sequentique Novembri secunda navigatione Fretum inter Britanniam Galliasque tetigisset, primo à Cantabricis quinque navibus, qui se Gallicas fingebant, frustra dolo impetitus, dein cum tribus Dunkerkanis, quîs sub specie amicitiæ Nostris imponere, & imprudentes superare in animo erat, pugnandi gravis incubuit necessitas. Præfectus ubi se dolis circumveniri videt, (namque hostes ita propinquo insultu nostræ navi imminebant,

nebant, ut anterioris veli antenna ſpeculo, ut vocant, ſe implicaret) convocata pube nautica, tormenta omnia eveſtigio & quicquid prælio uſui eſſe poterat, expediri juſſit, ſimul orare, hortari militem, ne nunc deficerent, ne numerum metuerent navium, virtutem omni numero potiorem, ſæpe exigua manu victores fuiſſe, vinci non poſſe ab hoſtibus, modo mortem non metuant, ſe certum eſſe, antequam ſe dedat, ignem navi injicere, atque ita poſt mortem hoſtes quoque vindicare. Pluribus opus non erat, facile enim juventus accenſa, quæ ferocia maris & frequentibus periculis indurata mortem contemnebat. Hinc apertis fraudibus hoſtis imperat, uti Præfectus pro Rege Hiſpaniarum vela dimitteret, reſponſum ſe nullum niſi Principem agnoſcere Auriacum. Dein undique tormenta hoſtium circumtonare, atque ita mediam navem quaſſare, Noſtri quoque expedite admodum non fruſtraneis ictibus hoſtiles naves fatigare: etſi impar omnino congreſſus eſſet, noſtra enim navis quanquam celeritate in omnem partem mobilis eſſet, magnitudine longe hoſtilibus inferior erat, cui cum tribus confligendum erat, quarum una triginta ſex ænea tormenta, altera viginti octo, tertia duodecim vectabat, queis lacerare & deprimere navem ingens hoſtem cupido agitabat. Lichthartio tamen animus belli ingens, periculorum victor, tantummodo gloriæ ſupra modum avidus erat. Neque inſultare in navem hoſti fiducia erat, metuebat enim ne Præfectus, vitæ prodigus, ſicut ante prædicaverat, ignem pyrium accenderet, atque ita ſeipſum cum hoſtibus certo devoveret exitio, igneisque ferales in peſtem ſuam converteret. Hoc prælium per octo horas tanto horrore agi-

tatum

tatum fuit, ut noſtra navis undique hoſtibus cincta infra aquam ſeptendecim, ſuperius ad quadringentos ferme ictus exceperit, malus major in aquas diſſiluerit, minor non in totū fractus titubans nutaret, vela omnia eſſent disjecta, divulſumque gubernaculum: ſpumante quoque impetu aperta navigii latera urgebat infenſum mare, foraminibus tamen obſtruendis ſumma adhibita fuit induſtria. Ita fluctuabat lacerum navigium vel potius truncus, & cum hoſte atque aquis colluctabatur. Laſſus tandem hoſtis neque indemnis, cum foros tranſilire non auderet, celocem dimiſit, ratus ita dedolatam, uti mari ſuas deberet inferias. Verum Præfectus ſentinam continuo movendo, inter Koxbrotium & Goudtſtartium periculoſo ſinui eam commiſit, atq; ſuccurrentibus Britannis ſummo periculo maris ſubduxit, Pleimuthæq; portui incolumem ſtitit. Ita Lichthartius refecta navi, ſummo cum hoſtium opprobrio, poſt tantas rerum aſperitates, (quippe non tantum hoſtilem terribilem impetum, verum etiam naturam elementi cæteris imperitantem induſtria vicerat) in patriam appulit, & ab undeviginti viris torq; aurea virtutis præmio donatus eſt.

CAPUT LXIII.

PRÆLIVM NAVALE INTER HOSTES ET FOEDERATOS AD SCALDIM FLVVIVM. Anno cIↃ IↃ cXXXI.

MAGNO paratu expediverat hoſtis claſſem ex I. ingentibus cymbis veliferis, decem pontonibus, o-

ctodecim planis navigiis, pluresque alii lembi aderant, qui remigio agitabantur. Ne in hoſtico penuria annonæ premeret, cibaria ad quatuordecim dies ſumpta, machinæ majores decem, ultra quadringentæ leviores, quatuor ignitorum miſſilium millia, undecim vaſa argento, tria funibus ſtipata: præter nauticam juventutem, quæ ex omni Brabantia Flandriaque huc frequens confluxerat, quinque millia militum, ſeptem Ceurlingorum, quos barbara crudelitas nobiles fecit, millia in univerſum luſtrati fuêre. Joannes Naſſovius, & Princeps Barbanconius ſummã præfecturam obtinebant. Ubi hæc claſſis ad octavum Septembris Antverpiâ, Archiduce Iſabella, & Maria de Medicis præſentibus, ſe Scaldi commiſit, tota civitas commota gaudio exultare, certam ſibi victoriam polliceri, concurſare plebes, lætis auguriis indulgere. Sacris initiati, poſtquã religioſa voce fauſta omnia voviſſent, etiam poſt mortem virtutis æterna & indubitata præmia largiri. Conſtat Legatum Pontificis in hæc verba erupiſſe: Ite ſacrata cælo pubes, & execratos cædite uſque ad internecionem. Quanquam autem inde tympanorũ ac tubarũ horror, hinc victoriæ concentus etiam ignavum quemq; accenderent, nunquã tamen efficacius quam adhortatione ſacra mors ſuadetur, quæ etiã tyrones in arma, imo cum multis pereundi lubidiné rapit. Die jam ad veſperam inclinato primo ad Perlanum munimentũ devecti, atq; hinc Doulam ponè per Saftingenſe oſtium, præter propugnaculum Hogewerfam & Bergam ad Zomam, Romerſwaliam contenderunt. Pars navium vadis fixa creſcentibus aquis iterum fluitans attollebatur. Naves noſtræ, quæ excubias agebant ad Saftingenſe oſtium, paulatim Bergam

vorſus ceſſere, ubi claſſis noſtra in procinctu, quæ præter ſolitam ſociorum navalium multitudinem mille admodum & quadringentis militibus aucta fuit. Auriacus, cui arcana hoſtilium conſiliorum patebant, ſumma celeritate ditionem Tolanam quatuor millibus militum inſederat, atque inter hanc & Gulielmopolin, omnes marinas ſpeculas, & dolia, quîs vadorum brevia & crebræ ſyrtes monſtrantur, tolli imperavit. Ita una aquæ ſpecies circumfuſa ubique obductis vadis, quæ indies mutantur, etiam peritis locorum facile imponit. Dum Marchio de Sanctacruce in ditionem, quæ à Principe nomen accepit, contendit, uti, ſi res proſpere ceſſiſſet, conſilio & ope ſuos juvaret: claſſis hoſtilis, quam Noſtri ſub imperio Hollardi, qui abſente Præfecto maris, vicaria in claſſe autoritate fungebatur, & tribuni militaris Maiſonneufii inſectabantur, iterum cæco arenarum hæſitans pugnandi initium dedit. Horridum hic & cruentum fuit Martis ſpectaculum, dum denſa nebula, qua tanquam nocte cœlum obducebatur, pavorem ſubitum & incompoſitum hoſti incuteret. Diſperſis quippe hoſtilibus navibus, ſors cuncta turbabat, hinc aquæ, illinc ignes fumi tenebris cincti, ſuorum atque hoſtium ignoratio, denique ſecuta quarundam deditio, vel fœda vorſus novam Voſſemariam fuga. Hinc clamor virûm, clangor tubarum, fragores & ſtrepitus tormentorum, Noſtris in audaciam, illis in formidinem opportuna erant. Fugientibus omnia advorſa, & quod extremum eſſe ſolet, confuſis ordinibus, nulla ſupererant calamitatis remedia. Pavidis omnia conſilia in incerto fluctuabant. Certis interea tormentorum ictibus naves lacerabantur, vel violentis ignibus conſumebantur:

mali & antennæ disjectæ profundo agitabantur: alii vadis insultabant, ut caperentur, alii ignes fugiendo, aquis peribant: mare fervebat incendiis, neque suis sed factitiis tempestatibus horrebat: tabulæ cum hominibus sparsæ vasto gurgite jactabantur, cuncta denique præsentem mortem viris intentabant. Diversa pereuntium facies, certa tamen plerisque mors imminebat, qui capti non fuere. Plures ruptis navibus in profundum transilientes enatare nitebantur, sed lassatis tandem brachiis aquis absorbebantur. Ita instructissima classis, brevi tempore fusa, mersa vel ignibus fœdata pessum ivit, an socordia & ignavo metu, an quod, ubi fata nutant, consilia cuncta turbantur, distrahunturque. Princeps Barbansonius, Comites, Joannes Nassovius, Bossuvius, Fresenus, Willervallius, & Meganus circa territorium, quod à Principe nomen accepit, cymbâ sibi salutem pepererunt. Captivorum quatuor millia, sexcenti, & sexaginta quatuor numerabantur, inter quos plurimi primæ autoritatis & dignationis. Decem tantum cymbæ tantæ calamitati fugâ se subduxerunt. Cæteri omnes (præter pubem nauticam decem millia militum classem impleverant) igne, mari, paludibus fœdâ admodum strage occubuerunt. Diu mare & Scaldis laceras tabulas, puppeis, arma, virosque volvebat, & in vicina litora vel vada tanquam purgamenta Oceani eructabat. Ita tumidi & præferoces hostium spiritus, qui ante prælium certam sibi spoponderant victoriam, subito collapsi ludibrio Fortunæ fuerunt, & quod proprium est arrogantiæ, ante pugnam victores, & supra modum glorioſi, victi infra omnem humilitatem abjecti. Inprimis hoc in Hispanica gente compertum, Victores immodici

modici faſtu, hoſtium contemptores, imponere fœlicitati frenos nequeunt, humanæ denique ſortis obliviſcuntur., victi muliebrem animum induunt, ſervilem humilitatem. non natura ſed extrema neceſſitas extorquet : cum hoc demum ſapientis ſit, neque rebus ſecundis inſoleſcere, neque adverſis dejici, & tranquillo animo affectus freno rationis regere.

CAPUT LXIV.

PRÆLIVM NAVALE INTER ANTONIVM D'OQVENDO, CLASSIS REGIÆ SVMMVM PRÆFECTVM, ET ADRIANVM PATERVM, GENERALEM CLASSIS HOLLANDICÆ, ANNO cIↃ IↃ c xxxi.

MIssa erat in Braſiliam Regia claſſis navibus & milite valida, ſub imperio Antonii D'Oquendo, quo creſcenteis vires Batavorum contunderet, eòque magis properatum, quod Bahiam obſidione cinctam rumor in Hiſpania increbuerat. Noſter Generalis obviam eundum hoſti ratus, atque mari debellandum, antequam terra ditionem invaderet, Fortunis cervicibusque cunctorum immineret, aſſentiente ſenatu Indico Reciffa ſolvit, Bahiam verſus expeditionem fecit, uti vel in ipſo ſinu, vel quocunque alio modo claſſi tantæ virtute reſiſteret. Undecimo Septembris die, cum ſol jam præceps occidentem peteret, immenſa claſſis in conſpectum venit. In quam rem vexillo

Imperator ſignum dedit, tum celoce nunciavit, uti reliquæ naves in propinquo ſe ſiſterent, ineundo prælio cuncta inſtruerent. Poſt tranſactam noctem primo lumine quinquaginta & treis velivolæ naves mari ſe oſtentarunt, tanquam ſi integrum nemus mari incumberet. Compertum poſtmodum duodecim Caſtiliæ, quinque Luſitaniæ galeones, duas Patachas, (ut vocant) cunctas ſimul quadringentis æreis tormentis onuſtas, ultra tria hominum millia habuiſſe, præter mercatorias vel actuarias naves milite ſtipatas, ita ut quinquaginta tria vela numerarentur. Noſtra claſſis ſedecim tantum naves, inter quas & celoces, præter juventutem nauticam, novem militum cohortes, queis imperabat Engelbertus Schuttus, ſummus vigilum Præfectus, numerabat. Ubi hoſtis in propinquo, Imperator militaris gloriæ appetens, generoſo ſpiritu ardens, militari facundia omnes ad pugnandum hortari, monere ne Remp. ne priſtinam virtutem deſererent, ſe nunc decus, gloriam, Indicæ Societatis ſalutē in dextris ſuis portare, ſin victores præmia certa, ſin fortuna victoriam inviderit, ne ſe inulti paterentur trucidari, vel capti fœdam ſervitutem ſervirent, & morte graviorem vitam exigerent. Neque fugam decoram, contra hoſtem vinci ſolitum. Fugiendo pericula ſæpiſſime incurri, audaciſſimum tutiſſimum eſſe. Simul imperat, ut binæ quæque naves galeones ſingulas adorirentur, quas octo tantum numero eſſe falſo certior factus fuerat. De quinque Luſitanicis galeonibus, aliisque navigiis nihil conſtabat. Cuncti admodum promiſſis virtutē oſtentabant, cæterum, ubi ad prælium ventum, plerisque fides, decus, honeſtas, poſtremo divina atque humana omnia contemptui fuere.

fuere. Nonnulli navarchi animum deſpondebant, ubi inſtructiſſimam claſſem tot majoribus tormentis horrendam oculis ſuis uſurparent. Imperator tamen, etſi ſerò ſe imparem hoſtibus, periculoque ingenti exponi videret, fortunam tamen ſuam, quæ adverſa nutabat, invicto animo tentavit. Circa horam decimam navi Prætoriæ Generalis Ocquendo ſe implicuit, quæ inſtar arcis maritimæ quadraginta octo ænea tormenta vectabat, cui & aliæ galeones ſuppetias ferebant. Horribile tum ſpectaculum in patenti æquore, tormentorum horrendus ſtrepitus ad cælum ferri, ardentia utrinque tela, glandesque majores & minores inſtar denſæ grandinis utrinque volare, adverſis vulneribus acceptis contra mortem luctari, eniti atque iterum concidere, vindictam hoſtium avidius quam vitam ſuam æſtimare. Animoſe Nauarchus Walachriæ navis Prætoriæ circumventæ ſuccurrebat, & pugnare pares erant, & reſpondere parati, niſi advorsâ fortunâ, quæ in præliis ut plurimum maritimis dominatur, Prætoria ignem in puppi concepiſſet, qui nulla cura extingui poterat. Interea ardentibus tabulatis in prora adhuc pugnabant, fruſtra ſuppetias expectantes, donec colluctante cum ignibus navigio, ingens vorago faucibus vaſtis patuit, crepantibusque flammis late ſe expandit, donec laxata tota compages hiſceret, atque ſeipſam præcipitaret. Pauci qui evaſere ab ipſis Hiſpanis recepti ſunt: plerique ex ſociis aquis ſubmerſi, atque adeò ipſe Imperator, perfide à ſuis deſertus, diu funè apprehenſo tandem laſſitudine confectus animam Oceano dedit, fluctuansque elementum pro vaſto ſepulchro accepit. Præfectus, cui ſecunda poſt Generalem erat auctoritas, Martinus

tinus Thyſenius, junĉta bellica navi, cui Ultrajectinæ Provinciæ nomen inditum fuerat, Proprætoriam Hiſpanicam eodem impetu adortus, adverſus omnia pericula ipſamque adeò mortem invictum animum gerebat: poſt dimidium horæ tormentorum valida procella Ultrajectinæ navis eminentem malum antennis gementibus fregit, eademq; poſt geminatam horam feralibus quoq; ignibus, qui extingui nequibant, exarſit, duplicesque fluctus hinc aquarum, illinc ignium attollebantur. Juventus ancipiti periculo commota, ne aquis periret, in vicariam hoſtilem navem ſe præcipitem dedit, ex deſperatione victoriam ſperans, verum ingenti impetu expulſa partim aquis, partim ardenti ſuæ navi ſe dedit, quæ tandem & ipſa tota concremavit. Cæterum plures quam ex Prætoria ab Hiſpanis recepti. Interea rebus ſuis non diffidebat Martinus Thyſenius, verum galeonem præcipuæ poſt Prætoriam dignitatis, cui præerat Franciſcus de Valleſilla Admirantis Hiſpanici titulo, ita perforavit, ut immenſo ſpecu, alveo navis hiſcente, mare admitteret. Ex duabus galeonibus altera quoque depreſſa, altera devicta fuit, cum ducentis quadraginta captivis, qui plerique erant Caſtiliani. Utrinque plures obtruncati vel advorſis exceptis vulneribus, ita ut neq; hoſtes neq; Noſtri victores vel victi viderentur. Hiſpanica tamen claſſis victoriæ nomine tumida mare tenuit, noſtra, præter illos qui non pugnarant, admodum lacerata quam celerrime Reciffam Pernambuci contendit. In locum defuncti generalis ſuffectus eſt Martinus Thyſenius vir impiger, & vitæ pro patria & Societate contemptor.

CAP.

CAPUT LXV.

PRÆLIVM NAVALE INTER NAVEM PRÆFECTI CORNELII IOANNIS HANII, ET DVAS DVNKERKANORVM NAVES BELLICAS, Anno cIↃ IↃ c xxxiii.

Immensas opeis mare Batavis aperuerat, ita ut in puncto & ſpithama terræ, quæ quotidie furore aquarum exeditur, totius terrarum orbis commercia ſtringerentur. Altera manu Orientem, alterâ Occidentem navibus noſtris contigeramus, ubi rebus humanis terminum voluit eſſe natura, & quaſi unus non ſufficeret orbis, extra ſolis pene vias emenſi mari congelato non amplius cum hominibus, ſed belluis pugnaveramus: cæterum prope noſtra litora ab infenſo hoſte opes mercatorum flagellabantur, Dunkerka modicum oppidum, & rapinis ſuis infame, mare noſtrum infeſtabat. Itaque à Directoribus opprimendæ piraticæ auctoritate publicâ novæ bellicæ naves conſtructæ: queis ſtrenuiſſimi quique & virtutis ſpectatæ præficiebantur. Præ cæteris conſpicua erat virtus imperterrita Cornelii Hanii, qui nihil inexpertum atq; inauſum contra hoſtem reliquerat, ſepties victor ſuperatis navibus ovans in portum revorſus fuerat. Totiens victorem fati neceſſitas vicit, quanquam & illam contemnendo de ipſa morte magno animo triumphavit, & ſanguine ſuo poſteritati æternum nomen reliquit. Quippe, cum forte duabus Dunkerkanis navibus

occurriſſet, medium ſe tanto impetu ingeſſit, ut prompta ad omne diſcrimen audacia hoſti terrorem incuſſerit. Illa enim demum inceptabat invictus ejus animus, quæ ardua factu magnitudinem ejus capiebant. Cito gloria obſoleſcit in iis patrandis, quę proclivia ſunt, difficillima quæque virtus ſectatur, quam decus, æternitas nominis comitantur. Poſt horrendum triùm horarum prælium una hoſtilium navium ita crebris tormentorum ictibus perforata fuit, ut hauſta aqua profundum peteret, claſſiarii fere omnes mergerentur. Altera tam fœdo ſpectaculo territa, expanſis velis in fuga ſibi præſidium quæſivit. Victoria incredibilis fortiſſimi herois morte triſtitiam peperit, cujus virtuti publicum monumentum Amſtelodami erectum intuentium oculos paſcit, quo memoria tanti viri poſteris conſecratur.

CAPUT LXVI.

PRÆLIVM NAVALE INTER COMMENDATOREM JOANNEM EVERARDI, ET ARCHITHALASSVM HOSTILEM COLARDVM; Anno cIↃ IↃ c xxxvi.

Ioannes Everardi Præfectus aliquot navium ducendis onerariis Galliam vorſus operam ſuam intendebat, cæterum nonnullæ tum Texelia, tum ex Moſæ alveo ſine ullo præſidio mari ſe commiſerant, inter quas duæ legatos Fœderatorum Procerum in Britanniam vectabant, aliæ equis onuſtæ Galliam petebant. Colardus quatuor regiis navibus, quæ ad omnem incurſum validæ ſolidæque erant, for-

fortunam maris experiri jussus fuit. Cæterum dum Dunkerka solvit, Prætoria vadis fixa hæsit, certo veluti calamitatis omine. Advorsa sorte non fatigabatur ejus virtus, verum, uti in generosis spiritibus solet, imperterrita, potiundæ alicujus insignis victoriæ immenso desiderio flagrabat. Illuxerat decimus & octavus Februarii dies, cum quatuor vela Nostrorum suum duobus inde milliaribus expansum tumorem ostentabant, alterum litoribus Galliæ circa Diepam vicinum, propius & opportunum injuriæ videbatur. Illuc itaque propere flectendum cursum ratus, unam bellicarum nostrarum navium, cui præerat centurio Petrus Adriani, præternavigando crebris tormentorum ictibus verberabat, atque insecutę duæ aliæ hostileis eadem sorte glandium furiosam procellam ejaculabantur: neque infirmi animi noster centurio, qui in hoc navium insultu securus, fortitudinis inexpugnabili munimento se circumdederat, etiam suis machinis hostem territabat. Sicut autem uno momento vagum & fluctuans mare vortitur, ita subita à præsidiariis nostris navibus coörta fuit tempestas. Audito enim tormentorum sonitu, Ioannes Everardi, quatuor suis bellicis navibus propinquans acriter prætoriæ hostili insultavit, ut speculum, uti vocant, navis rumperetur, tota puppis fœde lacera ingenti se aperiret hiatu. Itaque dum metuit Imperator classis hostilis, ne unico impetu Nostri illâc transilirent, jactis anchoris, lanceis gladiisque defensandi se necessitas incubuit. Figere contra anchoram Præfectus noster tentabat, sed casu funibus ictu machinæ ruptis, vento impellente dissectus divulsusque fuit. Interea temporis maritimus Heros Justus Trappenus, qui & Bancerdus appellabatur, à prora

prætoriam hoſtilem ita dedolavit, ut profundum jam petere inciperet. Præfectus Colardus, qui maritimis prœliis ſuetus, adverſa quoque juxta ſecunda ſæpies expertus, ſupra caſus ac viciſſitudinum incerta, imo ipſam mortem animum erectum geſtabat, infractâ voce iterum atque iterum clamabat, uti ignem nitrato pulveri injicerent, atque cælo potius viam affectarent, quam turpi deditione ignominiæ hoſtili ſe exponerent. Verum pulvis bellicus ad duos pedes aquis immaduerat, itaque fruſtrato extremo conſilio, cum neque navigio dehiſcenti ulla ope ſuccurri poſſet, quod pluribus locis laxari, & aquis cedere ceperat, ſimul omnes importuno gurgite mare hauſit, cujus tamen inclementiæ plures ſimul cum ipſo Archithalaſſo Noſtri eripuerunt. Præterea ex ſorte tam funeſta altera hoſtilis nata fuit calamitas. Binæ namque aliæ Hollandorum roſtratæ naveis, quîs ſuppetias ferebat Præfectus Petrus Adriani, ita ſuperſtites duas Dunkerkanas dedolarunt, ut una identidem aquis ſorberetur, altera omne in fuga præſidium poneret. Ita duas ingenteis regias naves cum ducentis hominibus Oceanus tot cadaverum inſolens volvit, & præter eos qui aqua vel ferro perierunt, centum & quinquaginta captivitati aſtricti, inter quos dignitate primus Colardus, cujus tamen animus in quacunque conditione ſupra fortunam aſſurgebat.

CAP. LXVII.

PVGNA NAVALIS INTER CORNELIVM IOLVM HOVTEBENIVM, PRÆFECTVM CLASSIS BELGICÆ, ET ARGENTIFERAM CLASSEM HISPANORVM,

ANNO CIↃ IↃ C XXXVIII.

SOCIETATIS Indiæ Occidentalis Proceres classem expediverant validam, quâ maria fatigare, atque ad Occidentem Regias opes succidere, Heinianæque prædæ memores argentiferam classem pari audaciâ opprimere constituerant. Classi Præfectus Cornelius Iolus, qui à teneris mari innutritus, cum horrore Oceani animum quoque efferatum contra hostes induerat, laborum supra modum patiens, cui sanguinolenta prælia ferales epulæ videbantur, neque unquam quietus, nisi impetu vehemens victoriam hosti extorsisset. Egressus ille Tesseliæ portu decima quarta Aprilis die, Anni M. DC XXXVIII, & cum in Brasiliam appulisset, collatis cum Mauritio Nassavio Brasiliæ Præfecto consiliis, navibus, militumque sexcentorum, qui promptissimæ ad omne facinus erant audaciæ, manu, & commeatu in septem menses auctus, fortunæ maris iterũ se commisit. Quatuordecim instructæ naves vela intenderant, & quærendæ hostili classi mare iterabant. Divulgata fama Hispaniæ & Occidenti ingens metus & consternatio incubuit, cum inconcussa & terribilis viri virtus omnia magna etiam supra sortem humanam polliceri videretur. Neque mortis contemptori quicquam invictum futurum censeba-

tur. Rex Hiſpaniarum nihil cunctandum ratus, quatuor liburnicas præmiſerat, uti portuum omnium, arciumq; Præfectos præmonerent, hoſtilem claſſem adventare, omni ope ſuam, quę ex Terra Firma, tutarentur, neque eam quæ Novæ Hiſpaniæ eſt, incerto maris niſi inſequente anno committerent. Cæterum claſſis Terræ Firmæ jam ante obfirmato animo ſe pelago dederat, atque ex ſpeculatoriis ſuis, quæ ad Promontorium de Corrientes in extimis Cubæ oberrabant, intellecto viſas duodecim Hollandorum naveis, cæterum modicas, à quibus certaminis advorſa metuenda non eſſent, Cubam vorſus & Havanam vela direxit. Iolus longis erroribus actus tandem cognovit, argentiferam claſſem circa Cubæ portum, juxta ſcopulos, qui Organes indigetantur, æquor navigare. Conſtabat illa galeonibus octo, aliisque minoribus navibus ſex, quîs ſummo cum imperio præerat Carolus de Ibarra. Immenſas illa opes ſtipabat, namque millionibus novem æſtimatam captivi affirmabant, aliorum diaria viginti numerabant. Opeis præcipuas Prætoria Hiſpanica vectabat. In quam Iolus, cum antea nautica facundia ſuos accendiſſet, acerrimo inſultu proram vortit, atque harpagonibus validiſſime ſe implicuit: quanquam prætoria hoſtilis ingenti mole caſtellum aliquod maris, noſtra liburnicæ ſpeciem præ ſe ferret. Secundæ & tertiæ dignitatis naves eodem impetu Proprætoriam & Noctilucam adortæ. Ternæ itaque cum ternis atrociter dimicabant, relliquis noſtratibus contra ſacramentum militare extra diſcrimen pugnam aſpectantibus. Exiguis limitibus ſanguinolenta belli area claudebatur: &, uti in extremis fieri ſolet, quando non tantum pro victoriâ verum

etiam

etiam pro ſalute dimicatur, hinc fori utrinque conſtrati cadaveribus, illinc Oceanus humanas inferias captabat. Hinc ignes, illinc aquæ ingenio loci exitium minabantur. Morientium vulneratorumque ingens clamor, horrida machinarum tempeſtas piceâ caligine aërem obducebat, favillæ fumo tetrico mixtæ, cineresque, undique volitabant. Neque tantum majores pilæ glandesque, verum & feſtucæ tabulatis excuſſæ dimicantes interimebant, aut vulnerabant. Et quanquam ad duas clepſydras varia & anceps prælii facies eſſet, Prætoriæ tamen noſtræ miles, ingens virium atque animi, foros & Hiſpanicæ Prætoriæ tabulata, pulſis ad inferiora hoſtibus, victor obtinuit. Ex corbibus enim noſtris, qui jaculatoribus referti erant, pilæ igneæ ad XXIV & XLVIII pondo certis ictibus in tabulata immiſſæ tantum terroris injecere, ut vacuam aream relinquerent, atque infra cancellos in interiorem navis alveum præcipites ſe darent. Ita ſuo carcere clauſi jam victi erant, niſi Proprætoria & noctiluca Hiſpanica ſuppetias ferendo fortunam mutaſſent. Ferme ademptum à gregario milite, cui mille florenorum præmium promiſſum fuerat, apluſtre, cum fulminanti procella hoſtium ingruente, eadem, qua per funes enixus fuerat, celeritate vix incolumis evaſit audax ille funambulus. Interea reliquæ hoſtium naves plenis velis in Prætoriam noſtram tendunt, queis junctis, metuens ne circumveniretur, reſiſtere maritimus noſter Hercules nequibat, quod cæteri centuriones ingenti perfidia prælium detrectarent. Hoc conflictu ſecundæ, tertiæque dignitatis præfecti, cum quinquaginta ſociis navalibus, violento fato ceſſere, centum & quinquaginta vulnerati. Interea Iolus iracundiæ

cundiæ oestro concitus, exæstuante ex imis præcordiis sanguine, flagrantibus & micantibus oculis, fortunam tot mensibus quæsitam, socordia & perfidia sibi eripi crebris & vehementius actis suspiriis indignabatur. Minax illi vultus, torva facies, color varius, inquieti pedes manusque, sermo præruptus, denique totius corporis fluctuatio. Convocatis Ducibus, qui fœdâ ignominia pugnam aversati fuerant, rupti sacramenti, militaris socordiæ ignaviæque acerbe, uti meruerant, expostulavit, unum ex centurionibus, qui superbe & indigne Imperanti responderat, baculo percussum exautoravit. Cæteros hortatus ne vincere assueti occasionem optimam corrumperent, ipsam fortunam decus, gloriam, divitias ultro polliceri, totiens hostium pernicie ac sanguine ostendisse, se invictos esse, modo vincere cupiant. Hos esse nervos regios, quibus bellum in Belgio alitur, quîs succisis domi impotentem inopiam esse. Neque navium mole terreantur, sæpe minores cum majoribus conflixisse, & victoriam reportasse. Illas immobiles mobilitate Nostrarum debellari posse. Pervenimus ad occiduum solem, non ut cadat nobis liquescatque virtus, sed ut excitetur. Ex ultimo terrarum fine victores reverti in patriam in manu vestra situm, nisi obstet ignavia. Meticulosos hostes suis incumbere thesauris, & cum argento suo expalluisse. Non tam ad pugnam quam ad prædam vos duco. Virtus ipsa vos vocat, monetque ne per inertiam tantam victoriam amittatis è manibus, dignos vos judicat, qui immensas opes in patriam referatis, si experiri cupitis. Per divina humanaque omnia vos oro quæsoque, ne Imperatorem vel potius commilitonem deseratis. Ipse primis periculis

periculis me offeram, vos modo ſequimini. Cæterum cum prælii iterum ſignum dediſſet, fruſtra omnis fuit adhortatio. Alios formido vel pervicacia, alios hoſtium potentia in tranſvorſum rapuerat. Poſtera die, tertium ſingulos duces & navarchos novo obſtrinxit juramento, qui ſyngrapha vitam ſe ante cum morte commutaturos eſſe, quam prælium deſererent, polliciti fuerant. Verum experiri tunc virtutem vix licuit, cum mari & vento iniquo noſtra claſſis ad inferius latus fluitaret, ictibus hoſtilium tormentorum expoſita continuo quaſſaretur. Et ſuperare gradus, & præter claſſem hoſtium eniti iniqua tempeſtas non permittebat. Neque fecere officium, qui ſacramento ſe obſtrinxerant. Die decimo & ſeptimo Septembris certior factus Præfectus, juxta vada Cubę, atque ſcopulos Organes, Hiſpanicam claſſem iter tenere, fortunam iterum tentare voluit. Veterum nautica pubes, quæ ſocordia & ignavia ducum in partes quoque diviſa erat, incuſando ſimul illos, nequicquam ad pugnam incitabatur. Tunc ſolus, quinque Ducibus abdicatis ſuffectiſque aliis, omnium animis accenſis, hoſtem jam animo & ſpe victor obtinebat, verum jam ante ex ſtatione ſua hoſtes elapſi in Novam Hiſpaniam abierant. Ita paucorum ſocordia & perfidia tam illuſtris evanuit occaſio, quæ lubrica, neque invita tenetur. Hujus perfidiæ, præter plures alios ſequaces, duo fuere anteſignani, qui, cum ſolus illis ætate minor eſſet, obtemperare illi opprobrio ducebant. Simultatibus itaq; privatis colliſa Ducis autoritas, infamia & dedecus potiora fuere commodis patriæ. Adeo inſita mortalibus imperandi profunda cupido, ut difficulter iis, quos pares vel minores dignitate habuere, morem gerant.

CAP. LXVIII.

PRÆLIVM NAVALE INTER MARTINVM TROMPIVM ARCHITHALASSVM, ET MICHAELEM DORNIVM PRÆFECTVM CLASSIS HOSTILIS.

ANNO cIↃ IↃ c XXXIX.

DUODECIM navigiis fauces Dunkerkæ obſederat invictus Imperator Martinus Trompius. Inviſum hoc hoſti, quem maria deprædandi cupido ingens inceſſerat, tum etiam deſtinatus Hiſpaniæ miles arcebatur. Injunctum ab Hiſpanico concilio Præfecto claſſis hoſtilis Michaëli Dornio, Batavos portu ſuo & litoribus pelleret: non tolerandũ Regiam claſſem tam modicis viribus obſideri. Animata quoque pubes nautica à gubernatore urbis Fuenteſio, cui perſuaſum quinque tantum bellica noſtra navigia pugnæ idonea, reliqua numerum tantum implere, cæterum invalida, neque ullum inſultum ferre poſſe. Affirmabat ille, licet felicitas hoſti aſpirare videretur, temeritati tamen non ſemper fortunã indulgere. Audeant modo vincere, victoriam in promptu. Nunc maris cubili pulſandum hoſtem, quem valentiorem audacioremq; propria negligentia faceret. Ingenti animorum motu læta ſuis periculis juventus perſtrepebat, qualis ſolet eſſet multitudinis, maxime militaris, quando à primoribus incitata cæco ſtudio agitur. Decimo & octavo Februarii die prima luce appetente, commeatu, milite inſtructa claſſis, quæ viginti naves, quîs regiæ majores duodecim continebantur, numerabat, Dunkerka ſolvit. Marchio

chio Fuenteſius Præfectus urbi in litore caruca vectabatur, qui jam ſucceſſus magnitudinem animo metiebatur, fiduciaque victoriæ inflatus, tumida cervice, more gentis Hiſpanicæ, ſpectandæ cladi Batavorum, oculos in vicina maris circumjectabat. Inconſulta quoque civium multitudo ejuſdem voti conſors per univerſum litus diffundebatur, atque augurio læta utramque claſſem oculis uſurpabat, promiſcuo errore vulgi, ne quidem ſuos ſine crimine vinci poſſe. Cum hoſtilis claſſis primo vela intenderet, centurio Hollardus, qui excubias agebat, explofo tormento ſignum hoſtilis adventus dedit. Quo audito Imperator noſter expediri cuncta ad prælium juſſit, ipſe circumſpectus, acer, indefeſſus, auctoritate, ubi neceſſitas indicit, aſtrictus, & ſimul, quod longe difficillimum, prolixæ & effuſæ in ſocios navales humanitatis, qui illum identidem optimum parentem indigetabant, vitam mortemque ſimul cum periculorum ſocio (namque dignitate Imperator, etiam cum gregario milite eadem munia obibat) dividere parati. Velificari noverat ingeniis noſtratium prudentiſſimus Imperator, quos ſi nimis dure & ſerviliter exceperis, irritantur, ſin ſalva autoritate mitigentur imperia, plura præſtant quam promittunt invicti robore & audacia. Tales viros, quibus decretum erat aut vincere aut mori, nulla virtus frangere poterat, cum ipſi virtutis modum omnem excederent. Rectâ itaque in hoſtem vela tendunt tanta alacritate, tanquam ſi ad epulas invitarentur. Primum initium hoſtilis calamitatis binæ regiæ naves dederunt, quæ interceptæ & à noſtris cinctæ, laceratis malis, pluribus cæſis, facile captæ ſuperatæque ſunt. Interea Martinus noſter, Martis illa vera

ſoboles, cum quinque Regiis navibus ſolus inaudito ſucceſſu tam fortiter per treis horas dimicavit, ita armis & conſtantia prætoriam navem contra omnem hoſtilem impetũ tutatus èſt, ut ſumma infamia atque opprobrio hoſtes proram avorterent, & tam cruentæ prælii tempeſtati ſe ſubducerent. Pulcherrimum hoc virtutis ſpectaculum ingens ludibrium hoſti debuit, qui ante victoriam victor, veluti certo ſucceſſu exultaverat, qui nihil modicum locutus in noſtri contemptum, ne quidem quinis navibus contra unam Noſtratium ſe ſuſtentabat. Neque hic ſubſtitit virtus Imperatoris noſtri, verum Prætoriam hoſtilem adortus, per dimidiam horam acrem conflictum exercuit. Jamque illa propemodum victa, lanceiſque duabus minoribus ſingulari audacia Hiſpano ereptis, cominus res agebatur, cum levi momento, uti in rebus maritimis ſolet, ſors mutata extremum inſultum inhibuit. Flectendo namque navim, quo acrius hoſtem premeret, tumidiore vento vela inflante, prætерlapſa prætoria hoſtilis turpi fuga terga dedit. Imperatoris exemplo, ingenti undique trepidatione atque conſternatione, cæteræ quoque fuga ſibi conſulere non erubuêre. Nunquam in ſolido ſtetit vana ſuperbia, & ingentium conatuum faſtigia, niſi virtute verâ nitantur, irrito molimine collabuntur. Prætерquam quod mortaleis curas ſuis viribus trans fines præfixos expediri non permittit ſupremum numen. Neque fugiendo ſatis tutæ hoſtiles naves fuêre, nonnullæ enim tellurem vorſus flexo itinere, vadis hæſitantes auctis demum aquis Dunkerkam petiêre. Non eadem fuit vicariæ hoſtilis fœlicitas, quæ itidem, cum oſtium urbis, quam Scheurtiam appellant, velis attingere non poſſet,

quia

quia alte arenis ſederat, (dubium an rupta, an ita tormentis dedolata eſſet, ut ultro deprimeretur) fluctuare nequibat. Cui ſuperandæ cum duæ noſtrarum navium immitterentur, milite vicino litori expoſito proprio igne conflagravit. Magna hæc & inexpectata calamitas vires maritimas hoſtium plurimum turbavit, præcipue quia & difficile erat attritas opes ſubito recolligere, & ſpes fractas novare, vel tanto vulnere conſternatum cum ſocio navali militem in melioris eventus fiduciam erigere. Namque ad mille & ſexcentos, (alii adhuc centum addunt) vel cruento fato occubuiſſe, vel vulneratos, vel captivos fuiſſe ipſi hoſtes non diffitebantur. Subito quoque permota civitas, atque immutata facies urbis erat, namque ex ſumma lætitia, quam fiducia victoriæ pepererat, repente incredibilis triſtitia invaſit, neque lachrymæ ſanguinem cæſorum extinguere quibant: inprimis mulieres, quarum pectora in dolorem facilius liqueſcunt, afflictare ſe, manus ſupplices ad cælum tendere, aliæ maritum, aliæ patrem vel propinquum ingenti ejulatu lugere, quædam miſertæ parvorum liberorum, fati iniquitatem accuſare, & prout cuique dolor verba dictabat, effundere. Archithalaſſus, cum ipſa clades crimini duceretur, in carcerem conjectus, ubi tempeſtas indignantis plebis deferbuerat, rationibus redditis iterum exemptus. Imperator noſter non immodicus lætitia, vel fortunæ ſuæ prædicator, vigeſimo & primo Februarii die Hellevoetam appulit, duabus laceris attractis Dunkerkanis navibus, quæ quingentis antea viris ſtipatæ, cæteris captivis, ducentos amiſerant. Eo quidem hæc victoria majori lætitia excepta, quod procella illa ingens, quam hoſtis noſtris

minabatur, tanquam nimbo undique effusa propere in eundem vorteretur, quod iterum infestum hactenus mare commerciis laxaretur, quod destinatus Hispaniæ miles impediretur. Præmia quoque virtutis insignia Patriæ Patres Imperatori reliquisque Præfectis largiti sunt, prout cujusque merita & dignitas postulabant. Præter torquem auream, quâ Proceres illum ornarunt, Regis Galliæ & Cardinalis Richelivii effusa in illum fuit liberalitas, quæ alibi recitata, cum luctuosæ ejus morti verborum impari strepitu justa solveremus, nunc repetere visum non fuit.

CAPUT LXIX.

PRÆLIVM CELEBERRIMVM DVNENSE INTER POTENTISSIMAM HISPANICAM CLASSEM, ET FOEDERATOS, Anno cIↃ IↃ c xxxix.

Ingentibus impensis, regnis omnibus, quam late se diffundit Hispana potentia, nervos opum fabrilesque operas tribuentibus, vix annuo tempore expedita classis ineunte Septembri Corunna Galliciæ oppido mare elegerat, cui tanquam alter Xerxes Hispaniæ Rex imperium minabatur. Sexaginta septem navigia, vel potius immensæ molis castella, tanquam insulæ natantes profundo incubabant, quibus virorum viginti quinque millia stipabantur. Inter quos prima Nobilitas sponte nomina dederat, tum ut fidem suam atque animum Regi probaret, tum ut glorioſæ victoriæ consortes forent, cujus certam conceperant fidu-

fiduciam. Quamquam enim pleriſque & gloria, & opes atque alia optanda domi ſuperabant, tamen hanc militiam recuſare, etſi maris inſolitis, ingens probrum ducebatur. Supremum claſſis imperium obtinebat Antonius D'Oquendo, militiæ maritimæ vetus, probatæque jam ante in Braſilia virtutis. Cujus Prætoria navis, octingentarum vehium, ſexaginta & ſex majores machinas vectabat. Archithalaſſus Caſtiliæ erat Andreas de Caſtro, Regni Neapolitani Petrus Quaderonus, Galliciæ Franciſcus Feyus Sottomajor, Luſitaniæ Lopezius Docias, qui navigio omnium maximo præerat, quod tabulatis firmiſque compagibus impervium, mille ducentarum vehium, ſexaginta octo majoribus tormentis terribile erat. Dunkerkanis imperabat Michaël Dornius. Qui rationes accuratius exegerunt, mille ſeptingenta circiter tormentá majora fuiſſe referunt. Quibus integra regna & ditiones contra impetum hoſtium ſuſtentari poſſe videbantur. Principes terrarum Regeſque in ſuſpenſo hæſitare, quo tam immenſa claſſis ferretur, neque quiſquam tamen ſecretorum adyta penetravit. Hiſpani, quod laudandum, nihil minus quam arcanorum prodigi ſunt, & interius premunt omne ſecretum. Taciturnitas optimum rerum adminiſtrandarum vinculum, ſine quo nihil recte in Rep. ſuſtinetur. Conſilia ſæpe vulgata hoſtem inſtruunt, uti artem arte eludant. Plurium illa fuit ſententia, Amaſin vel Fretum Danicum turbandis Hollandorum commerciis peti. Alii alia, neque veriſimilia variis ſermonibus jactabant. Præſertim inconſulta plebes avida futuri in rimandis arcanis ingenioſa ſibi videbatur. Nobis certum arcana Principum difficulter penetrari, &

qui

qui maxime ſe noſſe exiſtimant, inprimis falli. Nam Principes ipſi alia ſæpe promunt, aliud pectore clauſum tenent. Cæterum longius abiit noſtra dictio, nunc ad inſtitutum revortimur. Præfectus claſſis Trompius circa Beveſiram duodecim navigiis mare tenebat, certior factus claſſem Hiſpanicam Corunnæ portu ſolviſſe. Decimo quinto Septembris die ingentis hujus claſſis vela conſpecta omnium oculos præſtringebant. Non tam viribus atque apparatu quam virtute animi res militaris procedit, potentia fortitudine deſtituta, ubi primum impetum effudit, collabaſcit. Utplurimum modicis copiis victores fuimus, ubi viribus propriis nitebamur, magnos apparatus fortuna deſtituit. Neque tamen calamitatem provocare, ubi ſubſidia præſto ſunt, boni Imperatoris eſt. Diſploſis itaque per intervalla tormentis acceſſum hoſtilis claſſis indicavit. Audito ſigno Propræfectus Witto Wittenius animi acer, qui ſpiritu excelſo & erecto omneis motus fortunæ, omnia humana infra ſe deſpectabat, ex loco, quæ Cingula appellant, quam celerrime, cum omnis mora periculoſa eſſet, quinis navibus ſe proripuit. Inſequenti die, cum primum ſol ſurgeret, utramque & hoſtilem & noſtram claſſem oculis uſurpans, diu cum advorſo vento luctabatur, ad horam tandem undecimam ægre ſe Noſtris junxit, cum per horæ ſpatium acres cum hoſte incidiſſent velitationes. Ita ſeptendecim navigiis decretoriis armis contra hoſtem itũ eſt. D'Oquendo, qui per contumeliam navigia noſtra depreſſas gallinas indigetabat, & tam exiguis viribus fortunam Regis ludibrio exponi indignabatur, primum impetum in Prætoriam effudit tanta ferociâ, uti eveſtigio eam ſuperare poſſe falſa

opinio-

opinione ſibi perſuaderet. Uti non naturalis tumor noxam ſæpe corpori intentat, ita hominis Hiſpani, etſi rerum maritimarum periti, ventoſa arrogantia nihil niſi opprobrium ſibi ingens peperit. Quippe periculo & negotiis compertum fuit, in ſuo maris elemento Batavos virtute neque velle, neque poſſe ſuperiorem admittere. Acerrime quidem uſque ad horam quartam utrinque pugnatum, donec Prætoria hoſtilis admodum fatigata, languente impetu, ſeptentrionem vorſus ad angulum loci, quæ Cingula appellari diximus, ſe recepit. Sicut vaſtum animal ægre ſe movet, ita magnitudine ſua torpida illa moles difficulter ſe pugnando flectere quibat; atque mobilitate noſtræ navis, quæ huc atque illuc ſe vortens certis ictibus tormenta verberabat, admodum feſſa, laſſata, dedolataque fuit. Hoc tamen inter Hiſpanos & Batavos prælio, non virtute hoſtium, ſed fati iniquitate dura Nobis ſors obtigit. Proprio enim pulvere tormentario forte fortuna incenſo una noſtrarum navium horrendum ſpectaculum præbuit, cuncti præter unum in ſuprema aëris jactati miſerabili morte perierunt, laceri artus, & trunca cadavera primò in ſublime rapta, dein inſolenti veluti nimbo in profundum maris volvebantur. Veſpera appetente à Concilio militari conſtitutum, exiguis velis juxta claſſem Hiſpanicam morari, atque ita hoſtibus obviam ire. Poſtridie cælum denſa nebula obducebatur, adeò ut proſpectus impediretur, cæterum fulgore ſolis diſcuſsâ, verſus occaſum æſtivum juxta caſtellum Ydam & Folkſtonum ad oram magnæ Britanniæ claſſis ſe oſtentabat, quò ingenti velocitate properatum. Verum ſub meridiem ſilenti æquore propinquare

vetitum fuit. Cum dies cecidiſſet, militaribus ſuffragiis viſum poſt mediam noctem lucente luna hoſtem ex improviſo adoriri, qui relabente mari æſtum opperiens anchoras jecerat, uti opportune poſtmodum in ſtationem Dunenſem ſe reciperet. Etſi autem, an conſultum videretur nocte intempeſta per incerta maris, quo nihil æque fortuitorum capax eſt, hoſtem laceſſere, fluctuarent primo animi, tamen mari noſtro ſuetis minus periculum videbatur fortunam experiri: contra noctis horror, locorum imperitis infeſtum vadis mare, ſubitum prælium, magis iniqua hoſtibus videbantur. Quò autem naves dignoſci poſſent, neque amici in amicos incurrerent, tum geminatis in Prætoria, tum alibi ſingulis accenſis ignibus, aliisque indiciis ſignificatum fuit. Junctis quoque navibus preſſa navalis acies, ne multitudine hoſtium circumvenirentur. Ita, euronoto modice vela inflante, fiducia pleni præcipites Noſtri in hoſtem feruntur, ſicut in rebus aſperis fortiſſima conſilia tutiſſima ſunt. Quinet animo jam ſuperiores videntur, qui ipſi licet validioribus pericula inferunt, cunctatio deſes timori atque ignaviæ propior videtur. Hoſtilis claſſis, quæ Doveram petens vela quoque jam ventis dederat, ſecundâ poſt mediam noctem horâ tormentorum verberibus graviter impetita, ſimul cum noſtrâ vorſus promontoria fluctuabat. Poſtridie Bancardus Commendator duodecim navibus ſuppetias Imperatori ferens adventabat: hoſtis territus in ſtationem Dunenſem curſum flectebat. Hoc conflictu duæ primum hoſtileis naves ſuperatæ, quarum uni, quæ Galeo erat, dum prædandi avida nautica pubes incumbit, atque omiſſo hoſte pravum inter ipſos certamen gliſcit

ſpolia

ſpolia conſectandi, ab hoſtibus recuperata fuit. Cæterum plureis aliæ, dum cedendo ſalutem ſuam committunt fluctibus, ab inſectantibus certis & continuis machinarum ictibus, ſummopere quaſſatæ, ægre in ſtationem Dunenſem ſe receperunt. Tanta ardentis pulveris cum feralibus globis emiſſa fuit copia, non ſecus atque ſi fulminantis cæli trucem atque horrendam faciem quis aſpiceret. Deficiente pulvere & militaribus pilis, Caleto vicino Galliæ oppido quadraginta millia pondo nitrati pulveris, quatuor millia globorum, atque aliæ neceſſitates bellicæ confeſtim accerſitæ fuere. Revorſus Imperator ad auſtrum claſſis Hiſpanicæ anchoras jecit, ita ut hoſti gravis pugnandi neceſſitas incumberet, ſi mare eligere cuperet. Ita cincta modicis viribus immenſa claſſis, & quam ante vix laxitas Oceani capiebat, nunc arctata anguſtiis premebatur. Verum ſi ſtatim manus conferendi fiducia hoſti adfuiſſet, dubia forſan fortuna pugnatum fuiſſet, cæterum moram nectendo, ſicut Hiſpanorum ut plurimum lenta ſolent eſſe conſilia, dubium an contemptu hoſtium, an metu, an quod ſub præſidio Regis Britanniæ latitaret, neque conflictum auſuros ſub litora Angliæ Batavos crederet, certe temporis diuturnitate copias noſtras validiſſimas effecit. Nobis ſedet ſententia, inviſam potentiam exiguis admodum momentis à ſupremo numine peſſum trahi, mortalesque curas inter ſe fluctuantes tandem collidi, atque in arctum redigi, unde pedem referre nequeant. Interea Patres Patriæ, Princeps Auriacus, ſummo ſtudio naves bellicas expedire, agendo, vigilando, publicæ utilitati velox remedium adhibere, nauticam & militarem juventutem, cujus animoſa & ingens ſubito

confluxerat multitudo, ad ſacramentum cogere, omnia denique providere, ne quid detrimenti Reſp. caperet. Intra menſtruum ſpatium centum naveis majores in mare deductas attonitus hæſit orbis, vix poſteri credent. Et nos ipſi vix fidem adhiberemus, niſi factum conſtaret. Innatabat ſubitò pelago inſtructiſſima claſſis, qualem per annos aliquot vix expedire potentiſſimus Rex potuerat, qui ſolem Orientem cum Occidente junxerat, cujus veneratio & majeſtas per cunctas nationes latiſſime diffuſa fuerat. Jactent Carthaginienſes, Phœnices, Rhodii, & rerum domini Romani immenſam maris potentiam, in ſpithama terræ arctata tanta maritima potentia omnibus terrarum Principibus formidabilis viſa fuit. Nam quid ego hic primum commemorem, an celeritatem expeditæ claſſis, an multitudinem navium, an nauticæ juventutis ingentem turbam, quæ ferociam & robur ex mari contraxerat, atque hoſtis profligandi, patriæ armis tegendæ immenſa cupiditate flagrabat, quibus corpus agile & expeditum, vaſtus & immenſus animus, mortis hoſtiumque contemptor inerat? Neque verò in unum contracta erat maritima potentia, cum duplo major expediri neceſſitate urgente potuiſſet, cæterum ſufficere illæ copiæ profligando hoſti videbantur. Ita circumventa hoſtilis claſſis omni ope elabi, atque in libertatem ſe vindicare nitebatur. Tredecim Dunkerkanis navigiis res opportuna cecidit, ut ſub obſcurum noctis Goyingam vorſus, ubi nullæ poſitæ erant navales excubiæ, elaberentur. Neque vero hoc ſocordia & negligentia Imperatoris contigit, cæterum fides Anglorum, qui majora illic navigia fluctuare non poſſe aſſeruerant, heîc laborabat. Eorundem

ope

ope ſcaphis velivolis, quæ ſimul huc atque illuc remis torquebantur, tranſmiſſo in naves hoſtiles noctu Hiſpanico milite, & magno vulneratorum numero, omnis fere pedes, qui recens ex Hiſpania advenerat, incolumis Dunkerkam venit. Quo comperto, ad illud latus à Bancardo excubiæ actæ, ne plures clanculum in poſterum elaberentur. Interea Patres primo dubiis agitabantur conſiliis, an in ſtatione Britannica adoriri hoſtem conſultum foret. Neque tamen cunctationi locus erat: decretum itaq;, ſin hoſtis non prodiret, pulcherrimum patrare facinus, ut contra eundem junctis copiis fortunam maris experirentur. In ſex ordines diviſa navalis acies. Prima octo velis conſtabat ſub Præfectura Dionyſii centurionis, ſecunda octodecim, ductore Archithalaſſo, tertia viginti & novem, ſub imperio Propræfecti Wittonis Wittenii, cui illa cura incumbebat, ut ex advorſo Anglicæ claſſis conſiſtens proſpiceret, ne quid Britannus, qui Hiſpanis clanculum favebat, in prælio rerum novarum moliretur, quarta tredecim, ſub vicario imperio Ioannis Everardi, quinta decem navigiis movebatur, quîs imperabat Prætor, ut vocant, nocturnus Catſius, ſexta totidem, Commendatore Houtebenio. Quatuor naveis recipiendo militi, ſi fatalis aliqua neceſſitas ingrueret, treis annonæ vectandæ deſtinatæ erant. Conſtitutum, uti Trompius Prætoriam ſupremi Præfecti D'Oquendi, Ioannes Everardi Lopezii Dociæ Luſitani, Catſius Dunkerkani Præfecti Michaëlis Dornii, Dionyſius auſtralem, Houtebenius Septentrionalem partem Hiſpanicæ claſſis uno impetu adorirentur. Vigeſimus & primus Octobris illuxerat dies, cum horrenda prælii tempeſtas Oceano incubuit, tantaque calami-

tas viſceribus adacta Hiſpaniæ, ut ægrum Reip. corpus extremum ferme ſpiritum traheret, neque ullis ferme fulciri iterum ſuſtentaculis poſſet: non ſecus atque navi, quæ ſentinam trahit, compagibusque ſolutis laxari pluribus locis cepit, nequicquam ſuccurritur, ita ubi in totum collabi fortuna ceperit, fruſtra quis remediis obnititur. Antequam ad prælium ventum, Martinus Trompius ad Præfectum Anglicæ claſſis Penningtonum, qui iniquior Batavis videbatur, has literas conſcripſit, quarum hæc fere ſumma erat: Certiorem ſe factum à Penningtono, illi ſe hoſtem fore, qui primus in ſtatione Anglica hoſtilia intentaſſet, ſecuritatem regiorum portuum primum violaſſe Hiſpanum. Quid contumelioſius viris ad arma natis, quam hoſtili ſe lubidini obnoxios, inferiores & pene victos victoribus inſultare, celocem aliasque naves tormentorum ictibus verberari, etiam unum globo transfixum? omnia incitamenta victoriæ pro nobis ſunt, neque Deus ſiverit, ut Batavorum gloria & virtus ludibrio exponatur. Rogamus te, ut juxta fidem datam ſuppetias nobis læſis feras, vel, ſi illud diſpliceat, neutiquam advorſeris. Omnium jam æſtuant præcordia pugnandi immenſo deſiderio. Iuſſu Procerum, quîs obſequi prima ſemper nobis cura fuit, manu noſtra, ſi prodire nolit, ex ſuis latebris tanquam ſepto clauſos hoſtes ejiciemus. Certam autem fiduciam habemus, Regem judicio & ſapientia pollentem, qui etiam D'Oquendo indixerat, uti ſtatione Dunenſi diſcederet, approbaturum, vel ſaltem vitio hoc verſurum non eſſe, quod cædendi hoſtis publica neceſſitas extorſit. Hæc vel ſimilia cum reſcripſiſſet Imperator, pubem nauticam jam ſponte accenſam hortari,

tari, ut venienti fortunæ, quæ non ſimpliciter fortioribus jam indulſerat, occurrerent, hunc magnum diem victoribus decus atque immenſam gloriam polliceri, neque vanum hoſtium aſpectum receſſu ſuo metuendum, fugienteis in illum ſe recepiſſe ſinum, nunc cinctos undique obſideri, atque ſuo quoque metu in extremam perniciem agi. Infeſtum ſemper Hiſpanis mare fuiſſe, virtutem Batavorum maritimam, quaqua ſoli via eſſet, Orientem & Occidentem perrupiſſe, circa punctum hoc terræ mari dominationem Hiſpanicam primum retuſam, & vexilla libertati erecta. Multitudinem militarem hoſtium inertem, & juſſu Regio ex opificum tabernis, & agreſtibus caſis extractam armis imparem eſſe, illos vero in mari inter ſanguinem ac ſævas tempeſtates educatos, quicquid recte fieri vellent, propitio numine etiam prompta manu efficere poſſe. Ita inflammata juventus præceps in hoſtem ruit, & periculis admodum ſuis lætabatur. Hiſpanus ubi ſerio rem agi videt, & aquilonare claſſis latus peti, improviſo tumultu excitatus, anchoris ſectis dum pericula fugit, in multo gravius incidit. Nebulis enim cælum tegentibus, viginti duæ naves Hiſpanicæ vorſus litus vadis alliſæ hæſitarunt, quanquam jam ante monuiſſet Franciſcus Fejus, ne illac ulterius curſum flecterent. Ita dum probis conſiliis non obtemperant, cum importuno & vadoſo mari luctabantur. Neque evadendi ullum præſens remedium fuit. Luce enim nebularum caliginem perrumpente, preſſæ ſicco arenarum naveis veſtigio invadebantur. Et tanto furore miſſilia mittebantur, uti fixis navibus nullus exitus daretur. Certis glandiū ictibus, nullo refugio, tantùm mare hoſtibus patebat. Itaq; milites & ſocii navales

peri-

periculi novitate exterriti, alii in cymbas, alii in profundum se præcipites dederunt, quorũ pleriq; miſere perierunt. Immiſſis dein incendiariis ignibus, hoſtiles naves flammis conſumptæ. Interea ne litori nimis Batavi propinquarent, ex caſtellis & munimentis Angliæ aliquotiens diſploſa tormenta. Reliqua Hiſpanica claſſis in divorſas acies partita, ad interiora maris ſe proripiebat, quem inſectabatur Trompius, ſucceſſui inſiſtendum ratus, cum ex primis eventibus ultima quæque ut plurimum cedant. Archithalaſſus Cantabriæ, quam nunc Biſcaiam vocant, implicitus galeonis alterius velis dum ipſe partem aquilonarem claſſis ſuæ turbat, ſe cæterasque ejus ordinis ingenti præcipitavit infortunio. Turbatis enim ſemel ordinibus, cuncta admodum nutabant conſilia, feſtinare, trepidare, ſuo quisque metu pericula æſtimare, modo obniti, modo iterum relictis armis fugæ ſe dedere, nihil denique conſulti aut penſi habere. Ita deſperatio ac terror, ad afflictos ulterius obſeſſosque opprimendos multum valuit. Interea Prætoria Luſitanica navis, cui Præerat Lopezius Docias, quæ mater Tereſa indigetabatur, Ioannis Everardi ſociorumque vehementiſſimum inſultum patiebatur, cæterum cum invictum illud maris caſtellum nullis perforari poſſet tormentorum verberibus, & denſato militum agmine, qui ad octingentos numerabantur, nullum acceſſum admitteret, atque adeò in Noſtros incredibili ferocia continuos ignes cum miſſilibus omnibus machinis vomeret, Trompio, Galioque adventantibus conſultum viſum, quòd immenſa illa moles nullo alio modo debellari poſſet, duas incendiarias immittere. Quæ cum prætervectæ fruſtra fuiſſent, treis aliæ denuo immiſſæ horrendum

rendum, atque adeò mirabile ignium ſpectaculum edidêre. Ubi enim incendio pulveris nitrati receptaculum diſſiliit, tanto fragore cælum intonuit, ut vicina litoris tanquam terræ motu trepidarent, atque denſa ignium fulmina veluti per attonitas nubes agitarentur, inprimis quia tenebris cadentibus eo magis flammarum violentia in oculos incurreret. Tum incendio navis, inprimis verò ubi diſcuſſo in aërem pulvere pyrio cuncta in aërem raptarentur, octingenti homines perierunt, inter quos Lopezius quoque Docias, cui ante brachium quoque machina ablatum fuerat, ingenti virtute fato functus eſt. Cæterum varia erat paſſim mortis ſpecies & imago, alii ferro trajecti, alii ignibus conſumpti vel ſemiuſtulati, alii profundo merſi, aliorum laceri artus ſimul cum pulvere in ſublime rapti huc atque illuc volvebantur. Navis ipſa in partes colliſa hac tempeſtate non amplius in mari, ſed in ipſo aëre varie jactabatur. Incredibile dictu unam ex majoribus machinis candefactam, tanto impulſu in ſublime jactatam fuiſſe, ut inſtar teli ipſis admodum ſe nubibus immiſcere videretur. Neque iniquitas ſortis uni Noſtrarum navium defuit, cui præerat centurio Muſchius, quæ antenna pergulæ hoſtili implicita, cum forte per errorem incendiaria, quæ vicinam hoſtilem petebat, in illam ferretur, ignibus quoque violentis conſumpta periit, cæterum juventus pleraque recepta navibus noſtris incolumis evaſit. Jam antea D'Oquendus, & Franciſcus Fejus Luſitanicæ navi periclitanti ſuppetias ferre omni ope annixi fuerant, cæterum tantæ tempeſtati ſe objicere inconſultum cenſuerunt. Fejus dum modicis velis opperitur, à Prefecto & vicario cinctus obſeſſusque, cum etiam

incendiarias in se ferri videret, periculi jam antea monitus arbitrio victoris se permisit. Eodem die quinque aliæ Hispanicæ naves superatæ. Neque Magnus Alexander invictus stetit, quem centurio Iaarsveldius in suam potestatem redegit. Plures alias non virtus, non arma, sed noctis simul atque nebularum densæ tenebræ texerunt, quîs cum accessisset violentior ventus, D'Oquendi & Michaëlis Dornii Prætoriæ naves cum nonnullis aliis necessitati se subduxerunt. Petrus Quaderonus Neapolitanæ classis princeps ad Goeingam fœdâ calamitate navem fregit, pleraque cum eo juventus aquis mersa morti cessit. Luctantium cum morte miserabile erat spectaculum, modo natando obniti, modo fessis manibus cedere calamitati, ad extremum, sicut morientium acerrimus esse impetus solet, validissimo robore emergere, & tandem præcipiti fato succumbere. Postridie Batavorum classis vehementi vento, & densis tenebris à se invicem divulsa, neque usquam Hispanica apparuit. Una hostilium navium ventis undisque jactata cum Prætoriæ nostræ occurreret, etsi centum armatis hominibus præter nauticam pubem insideretur, duodecim æreis totidemque ferreis stipata esset machinis, à novem sociis navalibus, qui jussu Imperatoris se cymbæ commiserant, superata fuit. Dubium, an magis incredibilis tam paucorum hominum virtus, an hostium ignavia & socordia fuerit. Secunda post prælium die juxta Cingula mari iterum Hispanicæ quædam naveis vela sua ostentabant, cæterum commoto mari nanciſci illas Imperator nequibat. Itaque modicis velis Angliæ oram prætervectus, galeonem obviam, quæ metu territa, quod duæ bellicæ cum incendiaria

immit-

immitterentur,& ultro ſe arbitrio victoris permiſerat,facile oppreſſit. Plureis aliæ circa promontoria & alibi interceptæ, vel ad Gallica litora juxta Caletum alliſæ. Ita victo profligatoque hoſte, qui tanquam alter Xerxes immenſa claſſe maria inſtraverat, qui ambitione & cupiditate diſtentus, quarum cauſa pleraque inter mortaleis agitari ſolent certamina, faucibus patriæ imminebat, vindex maritimæ libertatis, infractus fortitudinis ſcopulus Imperator noſter cum claſſe ſua in ſtatione Dunenſi anchoras jecit, honorique Pennigtoni Britannicæ claſſis ſupremi Præfecti, & circumjacentium munimentorum, machinas omnes feſtivo ſonitu circumſtrepere juſſit. Cæterum Britannus, cujus animus haud dubie jam ante ad Hiſpanum inclinaverat, ne quidem ullo ſigno exploſæ machinæ, ſicuti inter militareis gratulationes fieri conſuevit, reſpondere dignatus fuit. Ex viginti tribus Hiſpanicis navigiis, quæ primo inſultu litoribus Angliæ adacta fuerant, cum ſex iterum fluctibus attollerentur, ne in jus atque poteſtatem Fœderatorum cederent, quandoquidem neque fugæ neque præſidii ulla reliqua ſpes foret, Penningtonus Anglo milite inſideri juſſit. Quîs invadendis cum ſe eludi ſentiret, jam ante monitus Imperator noſter, ne quid hoſtile Britanno intentaret, Colſtero demandavit, uti viginti quatuor navibus duplices curſus iterando, mare luſtraret, ipſe Goeream, & confeſtim Hagam Comitis petiit. Quacunque iter faceret,vel incederet, plebs avida videndi glorioſiſſimi Imperatoris latera ejus premebat, ita ut immenſi concurſantium fluctus pone attraherentur. Nonnulli ex primoribus prehenſare dexteram, nullum officii genus intermittere. Ille ſingulari mo-

rum comitate omnium obſequi ſtudiis, etiam pluribus ignotis eâdem affabilitate reſpondere, quippe ipſe Batavus Batavorum ingenia noverat, quibus preſſa pectore taciturnitas contemptus & ſuperbia appellatur. Immenſo gaudio cuncta perſtrepebant, nonnulli publice acclamabant, hunc eſſe immotæ libertatis ſcopulum, Indiæ Hiſpaniæque procellam, pridie nihil mari recte geſtum, illi Provinciam maritimam mandandam, qui inter tempeſtates atque ſanguinem hoſtium educatus, totam ætatem in mari egerat. Alii, ut judicio ſuo nimis quam indulget inconſulta plebes, affirmabant, non tantum claſſem immenſam domitam proſtratamque, ſed in una claſſe univerſam debellatam Hiſpaniam. Cæterum uti magnitudo victoriæ omnia præconia exuperat, ita ipſe multo majora jam pridem geſſerat. Ita nimirum cum populo comparatum eſt, ut ea quæ in oculos incurrunt, ac victoriæ præſentẽ magnitudinem tantum cogitent, cætera etiam pulcherrima facinora negligant. Interea Patres, excepto ſummo honore invictiſſimo noſtro Imperatore, ſupplicationes publicas, uti Deo immortali auctori ſupremo & unico tanti triumphi debitas grates perſolverent, & ſimul cum campanarum ſonitu feſtivos igneis per totam ſuam ditionem decreverunt. Nunquam majori ſtudio ad ſacras preces concurſum fuit, quîs peractis campanis continuo pulſantibus urbes pagique facibus picatisque doliis ardere videbantur. Plureisque accenſæ in turribus laternæ ſtellarum ſubito fulgentium ſpeciem jucundiſſimam referebant. Artificioſi ignes in altum jactati, nubibusque immixti, perpetuos cæleſteis quoque ignes æmulabantur, quîs lapſantibus ſtellæ cadentes, uti vulgus loqui

con-

consuevit, ad inferiora volvi videbantur. Longe pulcherrimum Hagæ comitis in vivario Principis editum navale spectaculum, cum enim sexaginta tormenta ex vicino colle iterum atque iterum explosa forent, in aquis navicula ad exemplum Prætoriæ Lusitanicæ incendiariis immissis conflagravit, atque in sublime rapta imaginem horrendi atque funesti exitus dedit. Ita immenso gaudio omnium laxabantur pectora, neque tantum externi ignes, verum etiam interni in omnium oculis præcordiisque flagrabant. Et revera longe augustissima hæc fuit victoria, quæ totum terrarum orbem fama nominis implevit. Ultra enim quadraginta naveis depressæ, captæ, incensæ, vadis allisæ. Ferro, igne, aquis ad septem millia perierunt. Mille & ultra septingentos captivi carceribus stipabantur: vulneratorum numerus subduci nequibat. Plureis quoque tempestatum ac sentinæ insueti, salo nauseaque confecti, in graveis morbos inciderunt, cæteri ferme, inter quos plurimi inviti ad sacramentum militare coacti, militiæque insolentes, Regi inutiles fuere.

CAPUT LXXX.

PRÆLIVM NAVALE INTER REGIAM CLASSEM ET SOCIETATIS INDICÆ OCCIDENTALIS IN BRASILIA,

ANNO CIↃ IↃ C XL.

SICUTI regiæ classis in Freto Britannico miserabilis & fœda admodum fortuna fuit, ita circa Occidentem

mari quoque infesta fuit. Omnem simul Hispanus intenderat maritimam potentiam, qua superba cogitatione Belgium invadere, Occidentem recuperare, sine modo modestiaque invadere, polluere, vastare omnia, nihil denique pensi vel sancti habere, in animum induxerat suum, cæterum prævaluere fata consiliis, potentiaque humanâ opę nisa raro sempiterna semet ipsam precipitavit. Primo ipsum cælum turbatumque mare classi iniquum eandem violentâ tempestate circa Promontorium viride disjecit. Accessit & alia extrema calamitas, quod quando mare omne cum aëre in turbines cessisset, & simul variis undique procellis incerti fluctus agitarentur, miles ferme omnis maris bellique insolens (plerique enim ab aratro ad sacramentum militare adacti) tempestatibus fœdis agitatus, simul diutina navium conclusione tetro odore, pestilentique Africæ ora confectus, ærumnis & miseriis coöpertus extremum spiritum dedit. Volvebantur aquis cadavera, & vel immanium belluarum rictibus relinquebantur, vel respuente mari in vicina litora ejectabantur. Classis itaque militibus & classiariis defecta in sinum omnium Sanctorum se recepit: ubi per integrum annum firmandis copiis navibusque resarciendis subsedit. Interea Mauritius Nassovius Indiæ Occidentalis supremus Imperator certior factus classem ingentem expediri, omnem operam consiliis hostium turbandis intendere, vigilare, neque insomniis laboribusque fatigari, classem præparare, juventutem militarem & nauticam cogere, jubere, hortari, ut semper intenti paratique essent, virtute & diis volentibus omnia prona fore, hostem vinci assuetum, & militiæ insolentem, rusticam plebem non ita

sulcare

ſulcare maria atque agros, claſſem incredibilem in Freto Britannico deletam, jam ipſis vitalibus vulnus afflictum, illud reliquum eſſe, ut vaſtum illud animal nervis ſucciſis venisque conficiatur. Exarſit nautica pubes, quibus ætas, animusque ferox erat, & immenſa cupidine gloriæ æſtuabat. Noſtra claſſis rerum omnium ferme indiga ſub Præfectura Gulielmi Cornelii Lozii tredecim navigiis conſtabat, quîs commodum acceſſere è Belgio novendecim, animosque noſtratibus auxêre. Ea tum erat belli neceſſitas, ut nondum exoneratis navibus, fatigatus maritimo itinere miles fortunam maris experiri cogeretur. Adortus Imperator noſter ingenti ſpiritu duodecimo Ianuarii die intra Tamaricam & Guaianam hoſtilem claſſem, quæ ſexaginta ſex navigiis, (adeo enim numerus excreverat) quindecim millibus hominum conſtabat, cui ſummâ cũ maritimâ poteſtate præerat Fernandus Maſcarenga, Comes Torrenſis, ſupremus Braſiliæ Regius Imperator. Potior ille erat numero militum, cæterum paucitas noſtrorũ virtute & diſciplina prævalebat. Non idem vigor corporibus, ardor animis, impatientes illi maris, tempeſtatum, & ad ſuſtinendum laborem inhabiles, Noſtris ſalo innutritis omnis labos in naturam vorterat, neque unquam ab hoſte vel tempeſtate quies, &, ut paucis abſolvam, horror efferati maris, præliorum conſuetudo animos quoque ferocientes aſperaverat. Juxta Paamorellam hoſtis militem ſeptem millium terræ committere conſtituerat, cæterum conſpectâ noſtra claſſe, quæ venti ſuperioris præſidio illum premebat, quantum poterat profundo ſe dedit. Inſectantibus Noſtris tribus circiter à litore milliaribus poſt medium diem uſque ad ſeram noctem

ctem acre prælium commiſſum eſt. Imperator Noſter, quod maritima prælia utplurimum impetu valida eſſe, atque inſultanti omnia prona, cedenti advorſa eſſe plerunque noverat, militarem hoſtilem aciem perrupit, cæterum Prætoriam invadendi ſupra modum cupidus, à quatuor galeonibus circumventus, per treis horas dimicando, invicta quidem virtute navem explicuit, verum ipſe glorioſæ mortis neceſſitati, verbis extremis igneam adhuc fortitudinem ſpirantibus, imperterritus ſuccubuit. Verum una ex Noſtris navibus adeo tormentorũ ictibus quaſſata, ut aquam hauriens præſenti ſe ſubduceret periculo. Neque damni expers claſſis hoſtilis fluitabat. Nox ſuperveniens prælium non animos militantium fregit. Surgente iterum ſole, nova ſurrexit Noſtratium virtus, ſuffectoque in defuncti Præfecti locum Iacobo Hugenio, ingenti ardore nervos contra hoſtem intendit. Guaianam inter, & Promontorium Album tanto horrore pugnatum, uti confundi cuncta admodum elementa viderentur, ſulfurea & craſſa fumi nubes igneis intercurrentibus radiis cælum & mare obduceret. Tormenta undique & militares tubi intonabant. Volitabant majoribus machinarum ictibus rapta in ſublime corpora, laceri artus ſanguine tabulata fœdaverant, denſa hoſtium cadavera per tranſennas ſpargebantur. Æquior noſtris pugna, quod hoſtiles naves mole ſua immobiles flectere ſe nequirent, noſtræ celeres mobilesque modo puppeis, modo proras, modo concuſſis lateribus compages certis ictibus lacerarent. Neque enim innectere ſe hoſtilibus navibus Naſſovii conſilium fuerat, ne militum numero obruerentur, ſed crebris acceſſibus receſſibusque hoſtem fatigare. Uſque ad feram veſpe-

veſperam prælium hoc exarſit, pauci ex Noſtris pro pugnæ atrocitate cæſi vel vulnerati. Navium tamen noſtrarum una, cujus compages valido machinarum hoſtilium impetu pertuſa, quod irrumpentes aquæ ſiſti nequirent, cum Duce Mortamero & XLIV militibus, fluctibus urgentibus ceſſit, reliqui præter cæſos in ſcapham deſilientes neceſſitatem ultimam ſuperarunt. Sequenti die tertio ad Paraybam prælio uno à litore miliari uſq; ad fugientem ſolem atrociter dimicatum. Una noſtrarum navium, cui Oloris inſigne erat, cum rupto minori malo difficulter ſe expediret, ab duodecim hoſtilibus cincta jacta anchora extrema expectabat. Cæterum ab unâ Prætoriâ noſtra profligatæ ſex, reliquæ innectendo ſe omnem impetum effuderunt. Jamque trecenti circiter foros tranſiliverant, Noſtri imperterriti advorſis telis in confertiſſimos hoſtes incurrunt, pro ſe quiſque edit, ferro ferit, cominus acriter inſtat, utrinque imbuti ſanguine enſes, tandem fortuna noſtra vicit, pulcherrimoque facinore hoſtes ejecit, quorum plures, cum arma, quibus corpus tegitur, avertiſſent, atque in ſola fuga ſalutem ponerent, cæſi, alii, qui diſſectis anchorariis funibus ad ſuos revorti nequibant, itidem vel obtruncati, vel aquarum violentiâ perierunt. Ita victoriæ fiducia initium hoſtilis calamitatis fuit, Noſtris propemodum victis virtus laceſſita omnem modum exceſſit, fortunæ infeſtæ contumaciter reſtitit, donec illam expugnaret. Neque inſectari elapſam navem ſine periculo hoſtiles quatuor poterant, quod dedita opera vadis ſe præcipitem dediſſet. Cæterum alia hoſtilis, quæ ſuppetiarum inſularium Prætoria erat, ignara periculi, cujus Præfectus erat Ioannes Andrada de Cunha, fortunam cum

illâ experiri tentavit : verum cum jam lateri immineret, cæco arenarum hæsitans flecti nequibat, utrinque tormentorum fragores densatique ictus inevitabiles erant, itaque cum hostis extremam necessitatem effugere non posset, animum despondit, & vitæ incolumitatem pactus arbitrio victoris se permisit. Triginta antea, qui mari se præcipites dederant, ut à Nostris reciperentur, efferatis pugnándi ardore navalium animis, vel mare vel ferrum consumpsit. Acceptа demum conditione milites ducenti triginta cymbis telluri expositi, Andrada in Belgium missus. Hæc duobus conflictibus decimo tertio ad Promontorium album, & sequenti Januarii die juxta Paraibam obtigêre. Interjectis duobus diebus, silenti æquore, cum appropinquare hosti tranquillitas vetaret, etiam prælia conticuerunt. Postridie vento se attollente multo acrior pugna recruduit. A nona matutina usque ad seram vesperam utrinque ferme pari nisu pugnatum. Tandem verò consummata hostis fuit infœlicitas, Prætoria enim ita dedolata, ut fessa & languida suppetias postularet, & fuga sibi consuleret. Treis caravellæ à celocibus nostris in littus actæ, ex quibus trecenti admodum Hispani, qui se telluri dederant, à centurione Tourlonio cæsi. Tota classis versus septentrionem vela tendens pone rupes, quas Baxos Rochi indigetant, se recepit. Locus ille victoriæ conficiundæ propter difficiles accessus importunus erat, eò quod majora navigia inde cursum repetere advorsi continui venti fluctusque impedirent. Interea quædam naves hostiles duo millia militum telluri exposuerunt, uti difficillimo per tesqua & sylvas itinere centum & quinquaginta miliarium Bahiam con-

contenderent: aliæ in Luſitaniam, vel ad inſulas, nonnullæ lineam æquinoctialem ſecantes itidem Bahiam profectæ. Ita irrito rurſum molimine, disjecta, fuſa, diſſipata potentiſſima claſſis fuit, quæ Occidenti ingentem terrorem incuſſerat. Ita nobiles illæ maritimæ Hiſpanorum expeditiones potentiam, atque exiſtimationem Regis multum detriverunt, exiguo Noſtris detrimento, ſibi ipſi ſummopere calamitoſæ fuere. Calamitas calamitatem trudebat, vaſtumque illud imperii corpus lacerum undique diſcerpebatur: ſicuti difficile eſt continere, quæ vix ullo limite ſtringuntur. Inprimis infeſtus Hiſpano Oceanus, & Noſtris non ſimpliciter indulgebat. Et quidem deleta fuiſſet hæc tota claſſis, niſi quorundam nauarchorum ignavia vel perfidia pulcherrimam impediviſſet victoriam. Quippe duodecim tantum vel ad ſummum quindecim naveis vires ſuas profligando hoſti intenderant, cæteri ſacramenti immemores fœdo flagitio optimam occaſionem corrupêre. Quos, ubi Reciſam ventum fuit, frequens ſenatus judicavit contra Rempublicam feciſſe. De nonnullis more majorum extremum ſupplicium ſumptum, quibuſdam, prout divorſa meritorum ratio poſtulabat, mortis pœna remiſſa, & vibrato ſupra caput à carnifice gladio extrema impoſita eſt infamia, cæteri exuti dignitatibus ſuis minore ignominia, vel etiam pecuniaria pœnâ multati. Quorum ſocordiâ & perfidiâ cæterorum virtus eo magis emicuit, qui ſeipſos non deſeruerant, & experiendo exiguis admodum copiis claſſem, uti ipſi poſtmodum Hiſpani teſtati ſunt, XCIII navium, inter quas viginti quatuor galeones, profligaverant, fuderantque, quibus & integer honos, illibatusque ſtetit.

CAP. LXXI.

EXPEDITIO NAVALIS SUB PRÆFECTO HOUTEBENIO VERSUS ANGOLAM, ATQUE INSULAM SANCTI THOMÆ, Anno clɔ lɔ cxli.

Praefectus classis Houtebenius simul atque in Brasiliam venit, nobili alicui expeditioni ingenium intendit, neque obvia sed summa quæque affectabat. Generosi spiritus labore,& quæ eum sequitur gloriâ,nutriuntur. Non est quicquam tam arduum, quod virtute expugnari nequit. Neque ignorabat quanto major illi Provincia demandata, tanto majore cura administrari debere. Ipse mari innutritus omnes labores & pericula consueta habebat, adversa & secunda expertus,eòq; imperterritus nihil nisi turpem famam metuebat. Classis in procinctu erat viginti navium, militibus bis mille,classiariis nongentis,& ducentis Brasilianis cũ tribuno militari Hindersonio insidebatur. Trigesimo Maji die Reciffa mari se committens, vigesimo demum & quarto Augusti sitientem & nimium propinqui solis fervoribus adustam Africam oculis usurpavit. Prope mare Africum Angolæ regnum, & in eâ Loandæ civitas non ignobilis ab hostibus possidebatur. Incolæ asperi, incultique, vagi palantesque,soli servituti utiles,pecorum instar conficiundo saccharo in molis agitantur. Quorum ingens quoque numerus in Brasilia iisdem laboribus summa severitate destinatur. Sin mitigentur imperia, insolescunt, sin durius habean-

beantur, in officio retinentur. Ad horæ ſpatium ab urbe ſub ſtrenuiſſimo Præfecto Hinderſonio telluri expoſitus miles, qui ſupra ardorem regionis ſuo æſtu agitatus, impiger, avidus gloriæ, prædæ, quæ maxime militaria pectora accendit, cupidus, contra ipſa tormenta munimentorum, quæ litus circumjacent, magno animo inſultabat. Cæterum Noſtri ex navibus continuis machinarum ictibus ita præſidiarios fatigarunt, uti invadentibus vacua loca relinquerent. Hinderſonius opportunum ratus ulterius occaſionem prenſare, eâdem veſperâ magnis paſſibus ad urbem contendit. Contra tria Nigritarum millia, qui in armis ætatem egerant, primo acerrime dimicatum. Quorum virtus, etſi diu advorſo corpore pugnarent, tandem elanguit. Quippe corpora illorum primo impetu valida, ſi diutius urgendo preſſeris, fluxa tandem cum mollitie ſui cæli liqueſcunt. Cedentibus Nigritis, Luſitanus gubernator Petrus Cecerra Meneſius conſilii inops cum nongentis militibus indigenisque, qui in ſubſidio erant, in fuga præſidium omne ſibi quæſivit, urbem vacuam victoris arbitrio reliquit. Inventa in urbe præter cibaria & annonam militarem, viginti novem ærea, ſexaginta novem ferrea tormenta, naves majores, minoresque triginta. Urbs ipſa edito colle ſita nequaquam munita, portum ipſum, qua introitus ex mari, munimenta prætexebant. Hinderſonus urbem ipſam atque ædificium, cui nomen Bengo erat, flumini inhærens, quod ille locus aquationi opportunus eſſet, muniri juſſit. Luſitani validâ manu impedire nova opera tentabant, cæterum prælio aſpero repulſi centum ex ſuorum & Nigritarum numero fato occubuerunt. Proſpere hic ceſſerat Fortuna

belli, verum ne tempus huic occaſioni ſe ſubduceret, inſiſtere ulterius novis patrandis facinoribus Houtebenio conſilium fuit. Inſula S. Thomæ ejuſdemque nominis oppidum ſub nimium propinquo ſole radiis verticalibus exuſta proventu tamen ſacchari fertilis eſt. Hanc petere, ipſumque veluti Phœbi cubile invadere Houtebenius conſtituerat. Victoria ſucceſſit, (unâ tamen noſtrarum navium incenſa plerique perierunt) verum Noſtris propter aëris intemperiem infauſta. Debellato hoſte nova victoribus morborum incubuit cohors, quîs plurimi aëris ferventiſſimi inſueti conficiebantur, atque ipſe quoque Præfectus mortalitatis leges implevit. Regionem ipſam torridis vaporibus exitialem malignus admodum aër infeſtat, quique ibi habitant Luſitani vix quinquageſimum annum attingunt, indigenæ longævi ſueti tam maligno aëri inde nullam noxam ferunt.

CAP. LXXII.

PRÆLIVM ACRE INTER CENTVRIONEM VELDMUSIUM, ET QUATVOR DVNKERKANOS, ANNO CIↃ IↃ C XLIV.

CIRCA Flevolandiæ litora ſe diffuderant quatuor Dunkerkanorum naves, qui ſpe potiundæ prædæ mercatoriis inprimis navibus inſidias tendebant. Occurſantem centurionem Veldmuſium, ſimul junctis viribus expugnare tentabant. Cæterum ille extremam neceſſitatem

plus

plus quam virili audacia ſuperavit, cum nihil enim reliqui eſſet, quam imminentem hoſtium ferociam contundere, aut mori per virtutem, ſimul militari, & horridâ facundia ſuos affatus, ne Deus, inquit, ſiverit, uti prope litora noſtra hoſtium violentiæ pateamus, mori mihi ante quam fœda deditione me proſtituam, conſtitutum eſt, vos quoque qui virtute humanum faſtigium exceſſiſtis, oro quæſoque, ne me non tam præfectum, quam commilitonem veſtrum deſeratis. Cætera vobis totiens imperavi, nunc etiam rogo, etſi imperio uti poſſim. Neque multitudo vos moveat, plerunque parva manu victores fuimus. Ite alacres & ſpe pleni, me vel virtutis vel ignaviæ exemplum ſequimini. E continenti ſex & viginti ferreis machinis ita intonuit, uti Prætoria hoſtium navis viginti & octo tormentis gravis immenſo hiatu aquam hauriret, profundoque abſorberetur. Tres aliæ adeo laceræ, ut vix portum attingerent. Noſtra tamen navis etſi virtute ſuperior, ita undique quaſſata erat, ut intra aquam octodecim ictibus lacera rimisque fatiſcens, ægre attracta, juxta locum, qui indigenis Robbegat appellatur, peſſum iverit. Cæterum Neptuni illos indigenas, ne quidem ipſum mare deſeruit. Omnes enim, uti meruerat illorum virtus letho erepti, perennem cum vitâ gloriam junxerunt. Neque ulla erit tam ſurda poſteritas, quæ tantos ſimilesque heroës non in cælum debitis laudibus feret.

CAPUT LXXIII.

LICHTHARTII ARCHITHALASSI CLASSIS INDIÆ OCCIDENTALIS VIRTVS EXPVGNATIS TREDECIM LVSITANORVM NAVIBVS. ANNO CIↃ IↃ C XLV.

LUSITANI, poſtquam Dux Bragancæ ejecto Caſtiliæ Rege regiam autoritatem arripuiſſet, Nobis fœdere nexi erant. Cæterum in Braſilia gens hominum mobilis & rerum novandarum avida, multa nefanda facinora per occaſionem agitabat. Et nova pacis neceſſitudo facile illorum ſcelerata conſilia tegebat. Magnitudo ſceleris, quã molitus fuit Antonius Cavalcantelca, Mauritiopolis ſenator, omnium ingenia exuperabat. Quippe feralibus filiæ nuptiis invitatos, Præfectos militareis atque urbanos confodere immane ejus erat conſilium. Aperto facinore ab uno ex conſortibus, quem conſcientia tanti criminis agitabat, Principes conjurationis fugientes manum militarem cogere, agros incendio fœdare, poſtremo crudeliſſimi mortales cruore atque luctu omnia complere. Multa alia aſpera & fœda evenerunt, quæ, quia extra inſtitutum noſtrum, dicere piget tædetque. Cæterum uti terra potiores, ita mari tamen vicit fortuna Reip. noſtræ. Strenuiſſimus Præfectus Lichthartius, cujus & alibi virtus memorata fuit, maria luſtrare, ſurgentem potentiam Luſitanicam collidere, omnia boni imperatoris munia exequi. Luſitanica claſſis fluxâ fide ad rivum formoſum centum & quingentos armatos homi-

nes

nes rebellibus junxerat, quibus Serinhaimum ad deditionem coëgerant. Tredecim ibi hoſtiles naveis octo ſuis magno impetu adortus Lichthartius, facile illas fudit, delevit, perfidiam virtute vindicavit. Neque verò levis illa belli tempeſtas fuit, ita tormentis horrendum in modum ſævientibus, ut confundi elementa viderentur, perpetuusque ignium fulgur, mugitus continuus machinarum, pilarumque violenti turbines cuncta turbarent: denique omnia ad terrorem ultimæ calamitatis compoſita videbantur. Quatuor naves ſuperatæ, cæteræ incenſæ, vel in litus adactæ pulcherrimum Noſtris ſpectaculum præbuere. Virtute & confidentia utplurimum victores fuimus, inſidiis tantum & perfidia à Luſitanis circumventi. Nihil ſanctius fide colunt Batavi, perfidia enim vincere magnum jure opprobrium eſt. Non quod eædem artes iiſdem in promptu non ſint, ſed quod tale crimen candor Batavorum non admittat.

FINIS.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

De expeditionibus antiquis tempore Romanorum. fol. 2

CAP. II.

De pugna circa Damiatam Ægypti urbem. Anno 1218. 9

CAP. III.

Prælium inter Hollandos & Flandros. Anno 1295. 13

CAP. IV.

Prælium inter Hollandos & Frisios Orientales. Anno 1298. 15

CAP. V.

Prælium inter Hollandos & Flandros. Anno 1304. 17

CAP. VI.

Prælium inter Margaritam, Filiumque Gulielmum. Anno 1351. 26

CAP. VII.

De Præliis tempore Iacobæ. Anno 1426. 30

CAP. VIII.

Bellum maritimum cum Osterlingis. Anno 1439. 33

CAP. IX.

De maritimo bello inter Gallos & Hollandos, Anno 1471. *& seq. sub Carolo Burgundo, & Maria.* 37

CAP. X.

Bellum inter Flandros & Hollandos. Anno 1483. *& seq.* 42

CAP. XI.

De Geldro-Frisico bello, Præliisque maritimis. Anno 1504 *& seq.* 45

CAP. XII.

Prælia Gallica, præcipue Anno 1554. 56

CAP. XIII.

De expeditione Geusiorum, ut vocant, Aquatilium, ejusque successu. Anno 1569. *& seqq.* 59

INDEX CAPITUM.

CAP. XIV.

Prælium cum classe Ducis Medinaceli, & cum classe Lusitanica, Anno 1572. 64

CAP. XV.

Prælium inter Sancium Avilam & Zelandos. Anno 1573. 68

CAP. XVI.

Velitationes navales inter Bossuvium & Hollandos in lacu Harlemensi. Anno 1573. 71

CAP. XVII.

Prælium inter Comitem Bossuvium & West-Frisios in sinu Australi. Anno 1573. 75

XVIII.

Prælium navale juxta Romerswaliam inter Hispanos & Fœderatos. Anno 1574. 85

CAP. XIX.

Prælium navale inter Zelandos, & classem Antverpianam. Anno 1574. 91

CAP. XX.

Expeditio navalis liberandæ obsidioni urbis Lugduni Batavorum, cum ab Hispanis undique premeretur. Anno 1574. 95

CAP. XXI.

De classe Hispanica profligata, vel tempestate perdita. Anno 1578. 101

CAP. XXII.

De expeditione Britannica Hispaniam versus, quibus junctæ 24 Fœderatorum naves. Anno 1596. 108

CAP. XXIII.

De prima versus Indiam navigatione, prælisque navalibus cum Lusitanis & Barbaris, Anno 1595. & duobus seqq. 117

CAP. XXIV.

Expeditio navalis, qua ab Anno 1598 usque ad 1601 Oliverius de Noort, totum terrarũ orbẽ triennii spatio circumnavigavit, ejusq; conflictus cum duabus Hispanorũ corbitis juxta Manillas. 125

INDEX

CAP. XXV.

Prælia & velitationes inter nonnullas naves classis Hispanicæ, Hollandicæque. Anno 1598. 129

CAP. XXVI.

De nobili, sed non felici expeditione navali 80 *navium, sub Petro Douza Præfecto maris. Anno* 1599 *& seqq.* 130

CAP. XXVII.

Legierii prælium cum sex Spinolæ longis navibus, item aliæ velitationes, Anno eodem. 135

CAP. XXVIII.

Conflictus Hispanicæ classis cum nostris Societatis Orientalis navibus. Anno 1601. 137

CAP. XXIX.

Prælium Volphardi Harminii, qui Anno 1601. *cum summo classis imperio in Indiam missus fuerat, cum classe Lusitanorum.* 139

CAP. XXX.

Variæ velitationes Spilbergii cum Lusitanorum navibus. Ao. 1601. *& seq.* 141

CAP. XXXI.

De octo longis hostiũ navibus depressis vel corruptis. Anno 1602. 144

CAP. XXXII.

De pretiosissima Lusitanormm navi, quam Caracquam indigetant, à Batavis superata. Anno 1602. 148

CAP. XXXIII.

Frederici Spinolæ cum Zelandis navale prælium, Anno. 1603. 151

CAP. XXXIV.

Iacobi Heemskerkii cum Lusitanorum pretiosissima corbita prælium. Anno 1603. 153

CAP. XXXV.

Stephani Verhagii præfecti in India cum Lusitanis prælia. Anno 1604. *& seqq.* 154

CAP.

CAPITUM.

CAP. XXXVI.

Prælium navale inter Petrum Cubiarram præfectum classis Hispanicæ, & Haultainium Zelandiæ Architalassum. Anno 1605. 159

CAP. XXXVII.

Lamberti Pulchri cum prætoria Dunkerkanorum memorabilis conflictus. Anno 1605. 161

CAP. XXXVIII.

Malaccæ obsidio, & prælium navale inter Matelivium & Lusitanos. Anno 1606. 162

CAP. XXXIX.

Gemina expeditio Gulielmi Hautainii, & Propræfecti Reineri Nicolai memorabile prælium. Anno 1606. 168

CAP. XL.

De nobilissima victoria Iacobi Heemskerkii in Freto Tartessiaco circa Gibraltaram. Anno 1607. 170

CAP. XLI.

Expeditio infœlix sub præfectura Petri Gulielmi Verhoevii versus Indiam. Anno 1607. *& seqq.* 180

CAP. XLII.

Conflictus classis Batavicæ cum Hispanica, Anno 1612. 183

CAP. XLIII.

Acerrimum prælium Georgii Spilbergii classis Indicæ præfecti, cum classe Roderici Mendozæ. Anno 1625. 185

CAP. XLIV.

Melchioris Kerchovii præfecti classis Batavicæ cum Hispanis prælium navale. Anno 1618. 192

CAP. XLV.

Prælium classis Batavicæ cum Hispanica junctæ contra Turcas prædo-

nes, ſub Præfectura Hautainii, & Lamberti Pulchri Vicarii. Anno 1618. 193

CAP. XLVI.

Prælium Hermanni Cleuteri cum duabus hoſtibus navibus Anno 1622. *menſe Auguſto: ejuſdẽ cum Ioanne Michaëlis acerrimum certamen, eodem Anno, menſe Octobri.* 195

CAP. XLVII.

Prælium acre prope Gades, inter Hiſpanicã claſſem & Noſtram, cui præerat ſummo cum Imperio Ioachimus Henrici Swartehontius. Anno 1622. 197

CAP. XLVIII.

Centurionis Iacobi Stenbachii prælium cũ Hiſpanica claſſe, Ao 1623. 200

CAP. XLIX.

De illuſtri expeditione ſub præfecto Iacobo Willekeno, & Vicario Petro Heinio. Anno 1623 & 1624. 203

CAP. L.

Expeditio navalis ſub præfecto Iacobo Heremita, & res geſtæ. Anno 1623. *& ſequentibus.* 210

CAP. LI.

Prælium inter præfectum Philippum De Zuilen, & undecim naves hoſtiles circa Loandam, Anno 1624 *menſe Iunio, nomine Societatis Occidentalis.* 213

CAP. LII.

Acerrimum prælium inter Luſitanicam claſſem, & Hollandicas Angli-casque naves. Anno 1626. 217

CAP. LIII.

Prælium inter Wibrandum Schrammium præfectum claſſis Indicæ, & prædonem Nicolaum Companum. Anno 1626. 219

CAP. LIV.

Memorabilis prætoriæ Hiſpanicæ clades, à novem claſſiariis perpetrata. Anno eodem. 222

CAPITUM.

CAP. LV.

De expeditione & prælio Petri Heinii cum classe hostili juxta urbẽ S. Salvatoris in Brasilia. Anno 1627. 223

CAP. LVI.

De ejusdem præfecti prælio, & victoria, eodem Anno. 228

CAP. LVII.

Prælium acre inter tres Nostratium naves, & prætoriã vicariamque Hondurensem. Anno 1627. 8 *Iulii.* 231

CAP. LVIII.

De prælio navali inter classem Hollandicam nomine Societatis Indicæ Occidentalis, cui præfectus erat Petrus Adriani Ita, & prætoriã, vicariamque Hondurensem. Anno 1628, *mense Augusto.* 235

CAP. LIX.

De classe argentifera à Petro Heinio direpta. Anno 1628. 140

CAP. LX.

Petri Heinii Archithalassi Hollandiæ cum tribus Dunkerkanis acerrimus cõflictus, ejusque infausta mors. Aº. 1629. 244

CAP. LXI.

Nobilis expeditio sub Imperio Henrici Loncquii, itẽ periculosa velitatio inter eundẽ & immensam classẽ Frederici de Toledo. Olinda præfecturæ Pernambucci oppidũ terra mariq; occupatur. Aº. 1629. 248

CAP. LXII.

Prælium inter tres Dunkerkanos, & unam celocẽ, cui Navarchus & præfectus erat Ioannes Cornelii Lichthartius. Aº. 1630. *Mense Novembri.* 255

CAP. LXIII.

Prælium navale inter Hostes & Fœderatos ad Scaldim fluvium. Aº. 1631. 257

CAP. LXIV.

Prælium navale inter Antoniũ d'Oquendo, classis Regiæ summũ præfectum, & Adrianum Paterum, Generalem classis Hollandicæ. Aº. 1631. 261

58-43
7.27.69
Libreria Sal

INDEX CAPITUM.

CAP. LXV.

Prælium navale inter navem præfecti Cornelii Ioannis Hanii, & duas Dunkerkanorum naves bellicas. Anno 1633. 265

CAP. LXVI.

Prælium navale inter commendatorem Ioannem Everardi, & Archithalaſſum hoſtilem Colardum. Anno 1636. 266

CAP. LXVII.

Pugna navalis inter Cornelium Iolum Houtebenium, præfectum claſsis Belgicæ, & argentiferam claſſem Hiſpanorum. Anno 1638. 269

CAP. LXVIII.

Prælium navale inter Martinum Trompium Archithalaſſum, & Michaëlem Dornium præfectum claſſis hoſtilis. Anno 1639. 274

CAP. LXIX.

Prælium celeberrimum Dunenſe inter potentiſsimam Hiſpanicam claſſem, & Fœderatos. Anno 1639. 278

CAP. LXX.

Prælium navale inter Regiam claſſem, & Societatis Indicæ Occidentalis in Braſilia. Anno 1640. 293

CAP. LXXI.

Expeditio navalis ſub præfecto Houtebenio verſus Angolam, atque Inſulam Sancti Thomæ. Anno 1641. 300

CAP. LXXII.

Prælium acre inter centurionem Veldmuſium, & quatuor Dunkerkanos. Anno 1644. 302

CAP. LXXIII.

Lichthartii Architalaſſi claſsis Indiæ Occidentalis virtus expugnatis tredecim Luſitanorum navibus. Anno 1645. 304

FINIS.

F651
T549h